

INSTITUTIONES
THEOLOGIÆ
NATURALIS
ET
ETHICÆ



AB

ANDREA ALOYSIO
FARNOCCHIA
IN LUCENSI LYCEO
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE
IN SUORUM AUDITORUM
COMMODUM ELUCUBRATÆ,





LUCÆ MDCCXCIV.

Typis Francisci Bonsignori)(*Cum Appr.*

Illum, qui intelligentiæ, sapientiæque se amatorem profitetur, necesse est intelligentis, sapientisque naturæ primas caussas agnoscere.

CICERO de univers. cap. 14.

Nisi constet Deum esse, ejusque vi et numine omnia facta esse et servari, quæ pptest esse pietas, quæ sanctitas, quæ religio?

CICERO de Nat. Deor.

REI LITTERARIÆ

SEPTEMVIRIS

IN LUCENSI LYCEO

ANDREAS FARNOCCHIA.

VIx Logicæ, ac Psychologiæ elementa ad meorum Auditorum usum, & commodum vestro exornata nomine, SEPTEMVIRI AMPLISSIMI, publicam in lucem prodierunt; cum ad Naturalem Theologiam, Ethicamque continuo mentem convertendam putavi; ut in hac

misera difficillimorum temporum conditione iis maxime, qui se mihi instituendos tradiderunt, pro ingenii mei tenuitate, eo magis prodesse pergerem, quo et majori præsidio opus esset, et gravioribus de rebus ageretur. Impietatem enim hac nostra ætate, non, ut olim, serpere tacitam, sed aperte jam furere ac debacchari vident qui sapiunt, vehementerque dolent. Monstra illa, atque portenta Tolandus, Hobbesius, Spinozius, Baylius, Voltaerius, Russojus, Mirabodius &c. non modo jam circumferuntur impune, verum etiam et excipiuntur festive, et avide pervolutantur. Quid vero de immani opinionum rerumque congerie illa, ſive potius colluvie, quæ magno ac ſpecioso *Encyclopediæ* nomine celebratur? Quidquid a veritate, a reipublicæ bono, a Religione, a morum integritate alienum in tot illa tamque ingentia volumina callide atque impudenter ingestum est expungendi corrigendive fide cen-

ties data, adhuc verba data sunt. Nunc igitur, cum in tanta Religionis jactura, tantaque morum corruptela versemur, id a me non solum utilitatem, verum etiam necessitatem petere existimavi, ut Lucensis Lycei Auditores, meo pro munere, meisque pro viribus, in divina Religionis veritate per me confirmarentur, eaque studiose exciperent, ac firmiter tenerent, quæ ad Deum, unicum hunc et summum veræ felicitatis auctorem, pertinent.

Ad Ethicam vero quod spectat, quid, quæso, Philosophiæ partem illam, quæ in ratiocinandi ac disserendi legibus versatur; quid illam alteram, quæ mentis atque animi nostri naturam undique penitus investigat; quid tandem sterilem nudamque rerum extra nos positarum scientiam nobis prodesse putamus, si quæ nos proxime contingunt, si hominis, inquam, officia, eaque omnia, quibus qui careant, probi atque honesti minime esse possunt,

aut ignoremus turpiter, aut stulte negligamus? Ecquis, cui paullulum sapiat cor, æquo animo ferat, exoticas linguas, ac profanas scientias Adolescentes diligenter edoceri, vix autem, aut nullo modo, saluberrimam, quæ de moribus est, doctrinam attingere, qua potissimum bene beateque vivendi tota ratio continetur?

Hisce permotus caussis pro Naturali Theologia Samuelem Clarkium Joannem Hancockium, Christophorum Sartium, Acta Pisana, cum primis vero Antoninum Valsecchium mihi ante oculos statuendos censui; tantorumque virorum vestigiis insistens, non ut nudus tamen, ac fidus interpres, aut excriptor, quoddam quasi specimen, quantum in his elementorum angustiis fieri potuit, confutandorum *Atheistarum*, ac *Deistarum* prima hujusce operis, qualiscumque sit, parte comprehensum dedi.

Pro Ethica vero, cum quæ de affectibus rite regendis, officiisque in societate præstandis habet Metaphysicus præstantissimus Franciscus Soavius, *analysi* accuratissima sint explicata, facere prorsus non potui, quin in duabus Ethicæ prioribus partibus, quæ sunt de homine, quatenus et variis animi corporisque facultatibus præditus, et in societate constitutus est, pluribus in locis celeberrimi viri doctrinam omnino persequerer, latino tamen breviorique stilo ex italico et longiori redditam. Sic enim statuo, atque judico; ad suorum Auditorum utilitatem scribenti nefas esse, quæ optima videantur, ideo prætermittere, quod ab aliquo alio fuerint excogitata.

Quamquam vero in hasce elucubrandas Institutiones omnem prorsus operam contulerim; plura nihilominus male tornata occurrent, SEPTEMVIRI ORNATISSIMI, vestrique propterea nominis præclarissimæ lucis minus digna. Quod tamen, cum inge-

nii mei partim imbecillitati, partim operis difficultati, pro summa vestra humanitate atque æquitate tribuetis; tum hoc, qualecumque demum et quantuluncumque sit, quin benigne excipiatis non dubito: præsertim quod nihil ex hac parte Religione, ac recta morum institutione utilius, nihil præstantius reputare, vosque ex altera omnibus de rebus, non ex præjudicatis vulgi opinionibus, sed ex ipsa rerum natura judicare soletis. Vivite quamdiutissime litterarum, vivite reipublicæ bono atque ornamento, ac florentes valete.

INSTITUTIONES THEOLOGIÆ NATURALIS.

§. 1. THeologia, ut vis indicat græci nominis, est λόγος περὶ τοῦ Θεοῦ, seu sermo de Deo. Dividitur in *naturalem & supernaturalem*, seu *revelatam*, aut *sacram*. Prima sermonem habet de Deo, prout naturali rationis lumine cognosci potest. Altera vero prælucente revelationis face Deum considerat, ac simpliciter *Theologia* per excellentiam dicitur. Theologiæ naturalis, quæ tantum ad nos attinet, amplissimus est usus, cum non solum animos præparet ad Theologiam sacram facilius & clarius intelligendam, verum etiam moralis universæ, Religionis, ac societatum omnium fundamenta jaciat. Ut illam ordine pertractemus, in primo libro Dei existentiam, in altero ejus attributa, quantum rationis lumine fieri poterit, vindicabimus. Ubique autem inutiles quæstiones præteribimus; his enim neque cognitiones nostræ augeri, neque mores perfici possunt.

THEOLOGIÆ NATURALIS

LIBER I.

De Dei existentia.

§. 2. DEi nomine intelligimus *ens suapte natura necessarium, & perfectissimum ab hac rerum universitate omnino distinctum, quod Mundum creavit, ac sapientissime gubernat.* Qui negat hujusmodi ens existere, *Atheus* appellatur, & quidem *positivus*, ut distinguatur ab eo, qui nullam habet Dei notionem, quique *Atheus negativus* dicitur. Atheus positivus vel negat existere Deum sophismatibus atque argumentis, & dicitur etiam *Atheus speculativus*, seu *theoreticus*; vel negat factis, nempe vitiis indulget, quasi nullus existeret Deus justitiæ vindex, & nuncupatur *Atheus practicus*. Ab Atheis non differunt *Pantheistæ*, ii nempe, qui Mundi substantiam cum Deo confundunt, qui proinde docent, Deum nihil aliud esse, nisi hanc rerum universitatem. Hujusmodi Atheismum professi sunt, ut jam in Historia Philosophica n°. XV. vidimus, primi Eleatici, ac deinceps specioso quodam definitionum, axiomatum, propositionum, ac corollariorum apparatu Benedictus Spinoza stirpe Judæus, natus Amstelodami die 24. Novembris 1632, mortuusque die 21. Februarii 1677. Is enim statuit, in natura non existere, nisi unam, ac individuam substantiam infinitis attributis præditam, quæ inter *extensio*, ac *cogitatio* præcipue numeranda sint.

Hinc omnia corpora, quæ in Mundo exiſtunt juxta Spinozam nihil aliud ſunt, niſi modificationes hujus unicæ ſubſtantiæ, quatenus extenſa eſt. Omnes vero ſpiritus ſunt illius modificationes, quatenus eſt cogitans; & hæc unica ſubſtantia cogitans ſimul & extenſa, quæ actione æterna, neceſſaria, continua producit, ac continet in ſe omnia Mundi corpora, omnes ſpiritus, ac uno verbo Univerſum, ipſo turpiter philoſophante, eſt Deus.

§. 3. Quantopere privatæ, publicæque felicitati Atheiſmus adverſetur, nemo non videt. Etenim quoad privatam felicitatem 1°. omnem tollit ab hominibus ſecuritatem; docet enim res humanas non a Deo ſumme juſto providoque, ſed aut a caſu, aut a fatali neceſſitate pendere; ideoque neminem ſibi præſtare poſſe, ne vel fortunæ ludo, vel fati immanitate malis graviſſimis immerito opprimatur. 2°. nullum in adverſis ſolatium relinquit, cum non ſolum divini præſidii, ſed etiam futuræ mercedis ſpem omnem auferat. 3°. felicitatem perfectam, numeriſque omnibus abſolutam, quam omnes homines omnino appetunt, prorſus excludit, nullam enim aliam, quam præſentem vitam agnoſcit, in qua perfecta felicitas obtineri nequit, tum quod omnia bona fluxa ſint, & caduca, tum quod cuilibet homini ex ipſa corporis conſtitutione plures ſint dolores perferendi. Quoad publicam vero felicitatem 1°. relinquit poteſtatem ſine fræno. Si enim ſupremi Numinis metum, tanquam præjudicium, & imaginationis figmentum habeant Reges, publicique rerum moderatores, quis audeat confidere, fore ut intra fines legitimos ſeſe contineat poteſtas, quæ nullum in terris judicem, nullum ſuperiorem agnoſcit? 2°. re-

linquit populos sine moribus. Tollit enim frænum ad coercendam morum corruptelam aptissimum, nempe metum supremi Vindicis, qui de scelestis hominibus etiam post mortalem hanc vitam supplicia sumit æterna. Sublato hoc repagulo, quis, dum leges infringere poterit, a criminibus temperabit, ut suas expleat cupiditates? non curabit quisquam, ne sit improbus, sed tantum quilibet cavebit, ne sit incautus: Quid enim aliud reformidare potest, quam hominis conspectum, & pœnas legibus humanis constitutas? Numquid eum repriment conscientiæ stimuli ac terrores? Sed posito atheismo conscientia nihil est, nisi præjudicium, nomenque inane. 3°. tandem societatem relinquit sine principiis, nam fatentibus omnibus, qui de re publica scripserunt, principia, quibus nititur societas, sunt justitia, fides, dictorum conventionumque firmitas, quæ omnia funditus evertit atheismus. Ex eo nimirum sequitur, quod saltem actu ipso licitum, rationique consonum quisque judicaret quidquid utile est: sublato enim Deo, non aliud est summum hominis bonum, non alius finis ultimus, quam præsentis vitæ felicitas, quocumque modo comparanda, & augenda; atque hoc posito, licitum sit, rationique consonum, quidquid utile est: Quid enim rationi magis consentaneum, quam ultimum finem in omnibus quærere, ac omnes actiones ad eum dirigere?

§ 4. Ut igitur tam perniciosus error ea, qua par est, dignitate profligetur, demonstrabimus in primo hujus Libri capite Deum existere principiis *moralibus*, in altero principiis *physicis*, in tertio principiis *metaphysicis*. His autem quartum addemus caput, in quo spinozismum confutabimus. Sit itaque.

CAPUT I.

De existentia Dei ex principiis moralibus.

§. 5. Moralia existentiæ Dei principia ex omnium populorum moribus desumuntur; ac præcipue omnium populorum in statuendo Deo consensionem, de qua hic tantum agemus, complectuntur. Ut autem statim clare percipiatur, quanti ponderis habenda sit hæc consensio; & quanti æstimanda, hanc propositionem, quæ veluti *axioma* cum Cl. P. Valsecchio nobis est, præmittimus, nempe, *nullum in Mundo esse hominem, qui solis propriis luminibus æquare possit universalem, ac perennem humani generis auctoritatem*. Hoc enim esset singulare privilegium, quo ipse duntaxat immunis fieret ab erroribus, in quos necessaria vi ceteri omnes homines semper prolapsi fuissent, ac continuo prolaberentur. Qui ergo jactitat, se hoc privilegio gaudere, nisi demonstrationem plus quam gemetricam afferat, omnino demens merito est reputandus.

§. 6. Jam vero omnes populos in statuendo Deo consensisse, testantur Auctores omni fide digni. *Deos esse* (inquit Seneca) *colliges, quod omnibus de Diis opinio insita sit, nec ulla gens unquam adeo extra leges, moresque projecta, ut non aliquos Deos credat* (Epist. 117.) *Peregrinantibus* (ait Plutarchus adversus Colotem prope finem) *multas contigit occurrere urbes sine muris, sine studiis literarum, sine legibus, nusquam autem stat urbs, aut oppidum, quibus nullus sit Deus: Itaque ex tot generibus* (inquit Cicero) *nullum est animal præter ho-*

minem, quod habeat notitiam aliquam Dei: ipsisque in hominibus nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat (de Leg. lib. 1. cap. 8.) Ac Tusc. Disput. lib. 1. cap. 13. *Ut porro firmissimum hoc afferri videtur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de Diis prava sentiunt: id enim vitioso more effici solet; omnes tamen esse vim, ac naturam divinam arbitrantur. Nec vero id collocutio hominum, aut consensus efficit: non institutis opinio est confirmata, non legibus. Omni autem in re consensio omnium gentium lex naturæ putanda est.*

§. 7. Quod quidem testantur etiam omnia antiquiora omnium nationum monumenta, quæ ad nos usque pervenerunt. Libri Moysis, qui, Criticorum judicio & omnibus scriptoribus antiquior est, cum juxta nonnullos tercentis, juxta alios autem sexcentis annis præcesserit bellum trojanum, atque ut historicus vel humanus non minorem, quam Thucydides, ac Xenophon meretur fidem, aperte docent, a Mundi incunabulis humanum genus Deum verum agnovisse & coluisse, nec unquam post diluvium Noemi filios huc, illuc dispersos sine Religione, sine sacrificiis, sine divinitate extitisse, licet Dei ideam miris modis corruperint. Libri Herodoti, qui antiquissimus græcus historicus existimari potest, cum eorum, qui Herodotum præcesserunt, nonnisi vel tituli, vel fragmenta supersint, luculenter indicant, semper credidisse non solum Græcos, finitimosque populos Deos existere, sed omnes etiam alias nationes, quæ tunc agnoscebantur, ne ex-

ceptis quidem populis Hyperboreis, nec duabus illis temporis periodis, quod *obscurum*, ac *fabulosum* appellat Varro (1). Latini Historici, ac præcipue Cæsar & Tacitus, qui de omnibus gentibus, quas Romani subegerunt, verba faciunt, semper memorant earum superstitiones, ac divinitates. Omnia Cinensium monumenta prorsus ostendunt, illius amplissimi imperii populos remotioribus usque sæculis agnovisse Dei existentiam, Mundi creationem, existentiam spirituum, atque alteram vitam (2). Omnes denique Poetæ ab Homero, Hesiodo &c. semper cecinerunt universalem de existentia Dei consensionem, ut Lucretius, etsi fuerit acerrimus divinitatis hostis, & ipse tamen lib. 1. vers. 63. canere debuerit.

Humana ante oculos fœde cum vita jaceret
In terris oppressa gravi sub relligione,
Quæ caput a cœli regionibus ostendebat,
Horribili sub aspectu mortalibus instans;
Primum Grajus homo mortaleis tollere contra
Est oculos ausus: primusque obsistere contra:
Quem nec fama Deum, nec fulmina, nec minitanti
Murmure compressit cælum, sed eo magis acrem

---

(1) De religione hujus temporis multa etiam extant loca apud Hateneum.

(2) Videatur P. Couplet, ac litera Leibnitii: *sur la Philosophie Chinoise*; quæ est decima octava Tom. II. *Epistolar. ad diversos*, quas in lucem edidit Christianus Kortholt.

Virtutem irritat animi, confringere ut arcta
Naturæ primus portarum claustra cupiret.

§. 8. Neque contra hanc universalem in statuendo Deo consensionem quidquam valet auctoritas celebris Cottæ qui, cum urgeretur, ut ex hac consensione Deum existere fateretur, apud Ciceronem Lib. 1. de Nat. Deor. c. 23. respondet: *Equidem arbitror multas esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio Deorum sit.* Nam nullo fundamento fulciri hoc Cottæ dubium 1°. declarant duo jam allata Ciceronis loca, quibus hæc alia duo adjungi possunt. *Quod nisi cognitum, comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum sæculis, ætatibusque hominum inveterare potuisset. Etenim videmus cæteras opiniones fictas, atque vanas diuturnitate extabuisse..... Opinionum enim commenta delet dies, naturæ judicia confirmat. Itaque & in nostro populo, & in ceteris Deorum cultus, religionumque sanctitates existunt in dies majores, atque majores* (Lib. II. de Nat. Deor. c. 2.) *Itaque inter omnes omnium gentium sententia constat Omnibus enim innatum est, & in animo quasi insculptum esse Deos. Quales sint, varium est: esse nemo negat* (Ibid.) 2°. demonstrat Ælianus, qui Lib. II. Var. Hist. cap. 31., cujus titulus: *nemo inter barbaros est Atheus*, inter cetera hæc habet: *Quis non laudabit barbarorum sapientiam, cum nemo eorum in atheismum prolapsus fuerit, nec dubitet, an existant, vel non existant Dii, an curam rerum nostrarum gerant, nec ne. Nemo igitur neque Indus, neque Celta, neque Ægyptius talem cogitationem in animo habuit.... sed isti barbari, quos innui, asserunt, & esse Deos, & curam rerum*

nostrarum gerere, & *futura prænuntiare*. Quod Aristoteles antea, deinde Maximus Tyrius docuit ut deinceps demonstrabimus. 3°. tandem, ut innumeros alios prætercam, aperte probat ipse quoque Lucianus, etsi fuerit cujuslibet Religionis hostis. Is enim, cum in Dialogo *Jupiter Tragœdus n.* 42. inducat Timoclem pro Religione disputantem, ac inter cætera argumenta afferentem universalem in statuendo Deo consensionem, non audet hanc universalem consensionem negare, sed Damidis persona respondet, hanc universalem consensionem esse argumentum nullius ponderis. Præstat hic afferre ejus verba, quæ juxta novam versionem, quam habet editio Reitzii Amstel. 1743., sunt hujusmodi: Timocles. *Igitur omnes homines, & populi decepti sunt, qui putent esse Deos, ac celebrent*. Damides. *Bene, Timocles, admonuisti me eorum, quæ inter gentes moribus, legibusque recepta sunt: e quibus nimirum maxime cognoverit aliquis, quam nihil firmum illa, quæ de Diis feruntur, habeant. Multa enim confusio, & alia alii sanxerunt: Scythæ sacrificantes Acinaci, & Zamolxidi Thraces .... Phryges autem Menæ: & Diei Æthiopes, & Cyllenii Phaneti, & Assyrii columbæ, & Persæ igni, & aquæ Ægyptii. Quamquam communis quidem Ægyptiis omnibus Deus est Aqua: Privatim vero Memphitis Deus bos est. Pelusotis cæpe; & aliis ibis, aut crocodilus, cynocephalus, aut feles ..... Hæc quomodo non ridicula sunt o pulcher Timocles?*

§. 9. Neque pariter universalem hanc in statuendo Deo consensionem labefactant historici illi, vel illi viatores, qui narrant plurimas fuisse apud veteres, plurimas & nunc esse nationes, quæ in maxima Dei ignoratione vixerunt, ac vivunt. Etenim

Quoad Historicos 1°. observandum est, nonnullos adhibere locutiones *dicitur*, *fertur*, *fama est*, quæ aperte declarant, ipsis incerta esse, quæ narrant. 2° nonnullos adhibere quidem positive voces *Athei*, & *Atheismi*, sed illas usurpare in sensu magis amplo, latoque, quam modo fieri soleat. Et quidem aliqui *Atheos* appellabant illos populos, qui idololatricis cæremoniis non indulgebant. Ita Plinius lib. XIII. Nat. Hist. appellavit Hebræos *gentem contumelia Numinum insignem*. Ita etiam *Athei* dicti sunt primi Christiani, quia unum tantum Deum adorabant, ut ex apologiis Justini, Athenagoræ, aliorumque constat. Aliqui *Atheos* nominabant sceleltos illos homines, qui prava ratione vivendi naturæ leges a Deo statutas subvertere conabantur. Atque hoc sensu *Athei* vocabulum usurparunt præcipue Poetæ Græci, uti observat Ezech. Spanhemius in notis ad Plut. Aristoph. ver. 492. Inquit enim *Solemne id Poetis Atticis*, *ut* ἄθεοι *ab iisdem dicantur de magno aliquo scelere convicti*, *& quos inde Dii graviter puniant*. Tandem aliqui *Atheos* dicebant illos, qui extra aliorum hominum societatem sine legibus, sine commercio, brutorum more vitam ducebant. Atque ita describit Strabo Lib. III. pag. 16. populos Calaicos, qui erant antiqui Lusitani, quos proinde Atheos appellat, quamvis *ibid. pag.* 154. fateatur, eos sacrificia offerre.

Quoad viatores 1°. advertendum quosdam, dum Affricanas, aut Asianas quasdam nationes inviserent, nec Templa, nec Idola, nec immensum externarum cæremoniarum apparatum illas habere animadverterent, in eam venisse sententiam, ab hisce nationibus Deos ignorari, quod falsum omnino esse postea re-

pertum fuit. Hujusmodi enim nationes antiquo more sub dio, & nude Deo sacrificare, & fortassis ex naturæ formula Deum adorare postea observatum fuit. Legatur *apologia generis humani adversus accusationes Atheismi* Lodovici Fabricii. Legatur cel. la Croze, qui præcipue liberat a nota Atheismi Canadenses, Brasilienses, populosque Antillium. Legatur Stinllingfleetus in Opere anglico, cui titulus: *Origines sacræ*, qui accuratis narrationibus, oculatisque testibus ostendit, perperam viatores quosdam statuisse esse Atheos Cubæ & Antillium insulanos, Canadenses, novæ Angliæ, Paraguaja, & Cile habitatores, Brasilienses, ac multos Africanos, ut Cafros, ut incolas Madagascaræ, aliosque. Sed quoad Affricam, legatur Petrus Kolben, qui in descriptione Capitis bonæ spei copiose loquitur de Huttentotis, qui, etsi, uti observat la Croze, admodum barbari rudesque sint, attamen supremum Deum agnoscunt, ac innumeris attributis illum præditum putant, quamvis primi viatores veluti Atheos illos statuerint. 2°. etsi liberaliter daremus viatores illos, qui mare ægeum inter Manidas & Molucas navigarunt, aut inter cavernas novæ Zemblæ, aut Groelandiæ iter fecerunt, invenisse reapse populos adeo silvestres, adeo infelices, cæcosque, ut nullam Dei notionem haberent, non inde tamen consequeretur, hominum consensionem in statuendo Deo non esse universalem, dummodo universalitas *moralis* (Log. §. 85.), quam hic tantum propugnamus, intelligatur. Nam ut homines cynocephali, unioculi, pinnati &c. quos reperiri antiqui, recentioresque scriptores iisdem fundamentis narrant, quibus quorumdam populorum barbariem extollunt divinitatis hostes, non ima-

pediunt, quominus veræ sint propositiones universales, nempe, *omnes homines duobus oculis esse præditos, nullos homines esse cynocephalos &c.* ita neque paucorum ser tas communi cæterorum hominum sensui obesse possset. Eorum enim numerus præ numero cæterorum hominum adeo exiguus foret, ut veluti *zero* haberi posset, ac proinde numquam tolleret universalitatem illam moralem, quam Cicero vocem naturæ, vocem veritatis appellat (1).

---

(1) „ Il Signor *Anderson* ci ha data l'*istoria naturale dell' Islanda, della Groelanda, dello stretto di Davis, e d' altri paesi situati sotto il Nord*, la quale dall' idioma tedesco è stata tradotta in Francese, e stampata in Parigi nel 1750. Questo Autore verso il fine del tomo secondo pag. 236. trattando de' costumi de' Groelandesi, dopo averceli dipinti per uomini selvaggi, e senza educazione, e senza leggi, soggiunge, che *quantunque osservato siasi in ogni tempo, e le scoperte successive di tanti paesi sconosciuti fatte da moderni provino d' una maniera evidente, che non vi ha popolo sì lontano, sì semplice, sì selvaggio, il quale non abbia la conoscenza di Dio, o della divinità.... i Groelandesi però non ne hanno veruna idea.* E di ciò l' Anderson si appella all' asserzione unanime di quelli, che avean trattato con quei selvaggi, e sopra tutto alla autorità di un certo *Missonario Egedo, e all' Autore della perlustrazione della Groelanda, i quali affermano positivamente la stessa cosa.* Che però gran trionfo non ne possano quin-

§. 10. Sed non melius universalis in statuendo Deo hominum consensio demostrari po-

---

„ ci fare i libertini, quando anche ammetter si vogliano come indubitate le riferite notizie, chiaro si scorge dalle altre circostanze, che ci dà l'Anderson di quelle genti: giacchè mi pare, che sopita soltanto, e intorbidata dir si debba in quella nazione l'idea di Dio, e della Religione. In fatti soggiunge egli qual cosa certa I. *Esservi in quell' Isola de' vestigj, i quali provano, che i loro antenati hanno avuta qualche cognizione di un Dio, e di un culto religioso.* II. Appena agli stessi Groelandesi presenti proponesi questo Dio creatore del Cielo, e della Terra, e *per convincerli* (dice Anderson.) *si mostra loro essere impossibile, che il Sole, e gli altri corpi naturali possano esser prodotti altrimenti, che per la mano di un creatore, siccome la minima delle loro barchette non può aver l'origine da se stessa; essi si arrendono alla evidenza, e acconsentono volentieri, che vi sia stato un creatore: ma dicono solo, che nol conoscono, e che non sanno, nè dove, nè chi egli sia.* III. dice l'Anderson, che il citato *Missonario Egede riferisce nella sua relazione pag. 64., che avendo interrogati molti Groelandesi, aveva appreso essere eglino persuasi, che alla morte dell uomo l'anima, cui essi chiamano Targneck, andava al cielo, e che il corpo restava, a imputridiva nella terra. E questa è pur la ragione* (segue egli a dire), *per cui seppelliscono co' loro morti tutti gli arnesi di pesca, e di caccia, di cui si sono serviti in vita: tanto più che credono, che colui,*

test, quam ex celebrioribus, doctioribusque Divinitatis hostibus. Ii enim tantum abest,

---

„ *il quale quì muore*, *vada a rivivere in luo-*
„ *go, dove vi sieno delle caccie abondanti de'*
„ *Daini, de' cani marini ec.*, *ma essi non san-*
„ *no, ove vadano, nè quando, nè per quanto*
„ *tempo* IV. *Essi dan fede alle streghe, e a i*
„ *sortilegj*: onde dice, che un Groelandese
„ avendo perduta una sua figlia, e un figliol
„ primogenito nel 1734, si volse in furore
„ contro certa donna, e schiacciolla co' pie-
„ di, pensando aver essa co' suoi incantesi-
„ mi cagionata la loro morte. V. Altra cir-
„ costanza v'ha in questi selvaggi riferita
„ dall' Anderson, la quale mi sembra degna
„ di riflessione, ed è, ch' *essi sono naturalmen-*
„ *te melanconici*, *e che quando son soli, abbas-*
„ *sano il capo, e mandano de' frequenti sospiri*,
„ *senza poterne render ragione*. Attribuisce ciò
„ l' Anderson alla *durezza della loro vita*, *ch'è*
„ *un tessuto di miserie*: ma non si potrebbe
„ anche sospettare, specialmente dopo le co-
„ se dette, che da più profonda vena sgor-
„ gassero i loro sospiri, cioè dal destarsi trat-
„ to tratto in loro quella *luce, che illumina*
„ *ogni uomo in questo mondo vegnente*, la qua-
„ le loro additi una felicità, cui mossi sen-
„ tonsi ad appetire, una onestà, cui sieno
„ eccitati a conformarsi, un appoggio del lo-
„ ro essere, una consolazione de' loro mali,
„ un principio, e fine, e riposo di tutti i
„ movimenti della loro ragione: tutti attri-
„ buti del primo Essere, ch' è il nostro Dio,
„ da cui quegl' infelici lontani trovandosi, e
„ senza traccia per conseguirli, quantunque

ut hanc consensionem negent, quin potius, illa extra omnem dubitationem posita, vel afferant, ex hac consensione inferri non posse unius Dei existentiam, vel absurde ex ignoratione causarum, consecutoque inde timore, ac ex Sacerdotum calumnia, Principumque Politica eam in hominibus derivatam propugnent. Baylius primæ inhæret viæ, statuit enim 1°. universalem hominum consensionem semper errori patrocinando inservisse, ut aperte ostendunt eclipsium præsagia, cometarum minæ, vis syderum in humanam vitam, aliaque sexcenta, quæ ut veritates olim ab omnibus venditabantur; quæque, expulsa igno-

---

„ li risentano, come cosa a se spettante, e
„ per cui essi son fatti, gemono frequente-
„ mente fin dal profondo del cuore, nè san-
„ no dir parole? Pare, che tal pensiero, il
„ quale io credo verissimo, convenga a ma-
„ raviglia con ciò, che l'Anderson stesso po-
„ co appresso ci dice, che *cotesto povero po-*
„ *polo ascolta volentieri, e con molta docilità*
„ *tutto ciò, che gli si dice di Dio, della sua be-*
„ *nedizione, de' suoi favori, e della vita eterna ec.*
„ Per le quali cose tutte io penso, che il
„ saggio Lettore sarà per accordarmi, che
„ quando anche star noi vogliamo alla sola
„ relazione, che della Groelanda ci dà l'ac-
„ cennato Scrittore, dir possiamo in verità,
„ che in quella Nazione l'idea di Dio, e del-
„ la Religione sussiste tutt'ora, ma quasi in-
„ viluppata, e confusa: la qual però al pri-
„ mo tuono dell'altrui voce si sviluppa, e si
„ desta „ Vallecchius *de' Fondamenti della Religione* Tom. I. cap. IX. pag. 209.

rantia, evanuerunt. 2. homines semper consensisse non in uno Deo, sed in pluribus admittendis, ideoque ex illorum consensione non unius Dei existentiam, nempe *Theismum*, sed existentiam plurium Deorum, scilicet *Polytheismum* consequi. Auctor vero *naturæ systematis*, idest, Mirabodius altera incedit via, ac cap. 1. parte secunda totus in eo est, ut ostendat, Dei ideam in omne genus hominum tam longe, lateque diffusam soli naturalium causarum ignorationi, solique, qui inde consecutus est, metui esse adscribendam; capite vero 2. parte secunda omnem movet lapidem, ut probet, ex Sacerdotum calumnia, Principumque Politica factum esse, ut omnes ferme gentes supremum aliquod Numen agnoscerent.

§. 11. Quam vero perversissimi isti homines, dum ita ratiocinantur, turpiter errent, facile ostendi potest. Etenim in primis consensio, quæ errori patrocinando inservivit, neque fuit consensio *omnium temporum*, neque *omnium hominum*. Non omnium temporum, neque enim omnibus temporibus eclipsium præsagia, vis syderum in humanam vitam &c. ut veritates habitæ sunt. Commenta enim delet dies, veritatem autem confirmat, ut quotidiana ostendit experientia. Non omnium hominum; sapientum enim nemo fere fuit, qui in vulgi opinionem descenderet, quique vulgi deliramenta privatim saltem non irrideret, ut in primis testatur Cicero in libris, quos de divinatione scripsit. Huc accedit, quod quæstiones, circa quas olim plerique homines errarunt, 1°. non fuerunt omnium captui accommodatæ, 2°. fuerunt mere *speculativæ*, non vero *practicæ*, nec habuerunt quidquam cupiditatibus ingratum, 3°. exigui

prorsus fuerunt ponderis, ac momenti. Quæ certe dici nequeunt de sententia, quæ Deum existere affirmat: ea enim omnium captui accommodata est; ea ad mores, & vitæ institutum spectat; ea ad felicitatem, & salutem hominum summi est momenti; ea cupiditatibus frænum injicit importunum; hanc falsum esse vellet corruptus quisque, ut suis libidinibus tranquille indulgeret. Fieri igitur non potest, ut in admittenda hujusmodi sententia concordes sint omnes populi, nisi ipsa rei evidentia, & quodam naturæ impetu ad illud moveantur, ac proinde nisi certissima sit.

In altera objectione 1°. falso asserit Baylius, homines non in uno Deo, sed in pluribus admittendis semper consensisse. Primi enim homines unum tantum Deum coluerunt, nec ad plures Deos statuendos, nempe ad Polytheismum gentes pervenere, nisi postquam obscurato revelationis lumine Divinitatis idea de ore in os translata corrupta fuit. Et revera quibusnam monumentis ostendere poterit Baylius semper Polytheismum in omnes gentes dominatum fuisse? An auctoritate Orphei, Homeri, & Hesiodi? Sed major, aut saltem æqualis habenda est auctoritas Moysis, qui hujusmodi Poetas præcessit. Is testatur bis mille annos a creatione Mundi elapsos fuisse, antequam homines in Polytheismum inciderint. Etenim ne verbum quidem de Polytheismo facit, quod certe non siluisset, si illis temporibus homines in tantum errorem prolapsi fuissent. Hinc probabile videtur, Polytheismum a Babelica Turri ortum habuisse. 2°. falso contendit Polytheismum ex universali hominum consensione comprobari. Quamvis enim plures gentes plures Deos professæ sint, attamen unanimes

non fuerunt, neque in definiendo Divinitatum numero, neque in statuenda earum natura, ita ut duo populi non reperiantur, qui eosdem fateantur Deos, ac eumdem Deorum numerum. Si omnes gentes semper credidissent, ac nunc etiam crederent, existere quemdam definitum Deorum numerum, ac semper inter se consensissent in eorum natura assignanda, tunc ut opinatur Baylius, Polytheismo faveret universalis hominum consensio, ac magni ponderis foret ejus argumentum. 3°. perperam propugnat, pro uno Deo statuendo non haberi universalem hominum consensionem. Quamvis enim gentes inter se semper dissenserint in constituendo Deorum numero, & explicanda eorum natura, attamen mirifice in eo consenserunt omnes, saltem sapientiores, quod existeret Numen aliquod supremum, rerum omnium dominus, causa, & fons non solum hominum, sed etiam aliorum Deorum, quos proinde veluti ipsi subjectos concipiebant. Quicumque legerit Homerum, Hesiodum, Euripidem, Platonem, Tullium, Senecam, Plutarcum, aliosque gentiles Scriptores, rem ita se habere aperte deprehendet. Sed id præcipue evincunt duo celeberrimi Oratores omni fide digni, nempe Maximus Tyrius, & Dio Chrysostomus. Nam Maximus Tyrius in Dissertatione, cui titulus: *quid sit Deus secundum Platonem*, inquit: *In hac tanta pugna, contentione, atque opinionum varietate, in eo leges ubique terrarum, atque opiniones convenire videbis, Deum esse unum, regem omnium, & patrem.... in eo Græcus cum barbaro, mediterraneus cum insulano, sapiens consentit cum stulto.* Dio Chrysostomus vero in Oratione XII. aperte scribit: *De Diis.... ac maxime de omnium duce*

concors est opinio totius humani generis, tam græcorum, quam barbarorum. Neque opponatur, hos duos Oratores post Evangelii propagationem, cum nempe Gentiles propriam doctrinam immutaverant, scripsisse. Nam de uno Numine supremo omnium aliorum duce, ac domino-infinita habentur antiquiora testimonia. Aristoteles lib. 1. de Politica sermonem instituens de Monarchia, seu de regimine, in quo homines præsertim antiquitus uni Regi obediebant, illique subjecti erant, luculenter scribit: *ideo omnes asserunt πάντες λέγουσι*, nempe, quod Dii vivant sub alieno regimine, sive sub uno Rege. Sofocles in una ex tragædiis habet: *Unus profecto est, unus est tantum Deus, qui cœlum, & amplum condidit terræ globum* (Videas Petavium *Dogm. Theol. Tom. 1. lib. 1. cap. 3.*) Plautus in comœdia, cui titulus: *Rudens*, ita loquitur: *Qui gentes omnes, mariaque & terras movet.... qui est imperator Divum, atque hominum Jupiter.* Virgilius in Æneide 1. ita inducit Æneam exclamantem

... O qui res hominum Divumque
Eternis regis imperiis, & fulmine terres.

Horatius tandem in Ode XII. Libri primi scribit

... Qui res hominum, ac Deorum
Qui mare, & terras, variisque mundum
Temperat horis.
Unde nil majus generatur ipso,
Nec viget quidquam simile, aut secundum.

ac clarius etiam in Ode IV. Libri III.

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, & urbes, regnaque tristia,
Divos, mortalesque turbas
Imperio regit unus aequo.

Merito igitur concludi potest, gentes omnes, saltem sapientiores, semper in uno supremo Numine statuendo consensisse.

§. 12. Ridiculum autem, insanumque se præbet Auctor *naturæ systematis*, qui ex ignoratione causarum, consecutoque inde timore ex Sacerdotum calumnia, Principumque Politica in omne genus humanum longe lateque diffusam Dei ideam propugnat. Et quidem inprimis si ex causarum naturalium ignoratione Dei idea originem habuisset, jam 1°. sublata, aut diminuta hac ignoratione, Dei idea aut penitus auferri, aut saltem in dubitationem adduci debuisset, quod quam falsum sit, facta ipsa ostendunt. Quo enim clarius rerum causæ perspectæ fuerunt, quo latius Naturæ arcana reserata sunt, eo & numero majora, & momento graviora argumenta evaserunt existentiæ Dei. Quod quidem apertissime evincunt argumenta *physica*, quæ in sequenti capite afferemus, ac demonstravit Fenelon *de exist. Dei*, Ray *de exist. Dei dem. per creat.* Neuwentyt *de exist. Dei*. Derham *Theol. Phys.*, & *astron.*, de Reaumur *in mem. ad hist. insect.*, Lesser *Theol. insect.*, qui Auctores, si vacat, consuli possunt. 2°. quo magis homines hujusmodi ignoratione tenerentur, eo in divina existentia admittenda pertinaciores essent, quod rursus absurdum omnino esse facta ipsa ad evidentiam ostendunt. Observatione enim constat, silvestres homines, qui in majori causarum naturalium ignoratione versantur, obscuriorem prorsus

Dei ideam sibi comparare. Pariter si ex timore, qui ex ignorantia consequitur, Dei idea in genus humanum profluxisset, ea esset idea Vindicis, in quo terror emineat, ultio dominetur, excandescat ira. Jam vero idea, quam gentes de Deo sibi compararunt, est idea Parentis optimi, Conditoris sapientissimi, munificentissimi provisoris, justissimi Judicis, qui præmia bonis, supplicia impiis decernat, ideoque ex timore orta dici nequit. Imo tantum abest, ut timor Dei ideam excitaverit, quin potius Atheismi in nonnullis hominibus verior causa fuerit. Cum enim æquissimi Vindicis idea pœnarum metum excitet in scelestis hominibus, illam in se delere, ac penitus ab animis avellere & eradicare conati sunt nonnulli, ideoque ad Atheismum deflexerunt.

Quod de ignoratione causarum, consecutoque inde timore dictum est, idem de Sacerdotum calumnia, Principumque Politica dicatur. Et quidem Sacerdotum existentia Religionis existentiam, ideoque Dei ideam supponit, cum ibi esse Sacerdotes nequeant, ubi nulla Religio, nullaque alicujus Numinis idea habetur „ Deinde (*inquit cl. Christophorus Sarti in Theologia Naturali lib. 1. parte prima cap. 2.*) quisnam quæso Sacerdos adeo potens, facundus adeo, disertusque „ fuit, a quo novum hoc prodiret inventum, „ cujusve consilio, suasione, ac opera gentes in Dei idea admittenda consentirent? „ Scio genus hominum ad superstitionem esse „ valde proclive. Sed omnis superstitio antecedentem flagitat alicujus Numinis ideam, „ neque ea stare sine Numine potest. Quamobrem ubi primum excogitata est Dei „ idea, qua ratione Sacerdoti huic nemo est



„ refragatus? Qua item ratione in ejus sen-
„ tentiam ivere universi? Agebatur de supre-
„ mo Vindice agnoscendo, cujus idea im-
„ piis, scelestisque timoris, odiique plena vi-
„ debatur esse. Quæ argumenti vis crescit,
„ augeturque, si humanum genus longe, la-
„ que diffusum ubique gentium Dei ideam
„ recolas agnovisse. Quam ergo difficile in-
„ tellectu est, omnes omnino homines ei-
„ dem Sacerdoti assensisse, aut neminem id
„ in dubitationem adduxisse? Omnes credo
„ illorum temporum homines ad unum us-
„ que bruti, lapideique extitere. Quid aliud
„ est hoc, nisi insanire penitus, ipsaque in
„ differendo abuti patientia hominum?„ Quod ad Principes attinet, si ex eorum Politica Dei idea foret repetenda, vetustissimæ nationes ad unam omnes sine Religione fuissent, eoque magis, quo vetustiores, quo nempe magis imperium civile, Principumque Politicam antecedunt. Jam vero ii omnes, qui in antiqua historia omnino hospites non sunt, ultro fatentur, nationes primis Mundi cunabulis viciniores, magis religiosas fuisse. Prima gentium omnium memorata historicis ætas Deorum perhibetur, imperio civili, ac Legislatoribus omnibus antiquior. Nulla natio Ægyptiis, & Chaldæis antiquior habetur, nec ulla religiosior, seu potius superstitiosior. Ac in reliquis veterum gentium historiis nihil religione antiquius occurrit, ita ut Livius perspecte dixerit: *datur hæc venia antiquitati, ut miscendo humana divinis, primordia urbium augustiora faciat*, nam nulla gens in societatem sine aliquo Deo non modo tutelari, sed & parente, & fundatore coaluit. Quamquam quæ exempla assertionis suæ afferet Mirabodius? Minois puto, Lycurgi, Numæ, qui-

bus tamen omnibus antiquiores sunt poetæ Theologi Orpheus, Linus, Homerus, Hesiodus, qui Theogonias scripsere. Turpiter igitur more suo hallucinatur.

§. 13. Sunt, qui putant, universalem hominum in statuendo Deo consensionem labefactari ab antiquis Philosophis, qui opinati sunt, Mundum esse æternum. Quam autem perperam sentiant, ex hoc evidenter apparet, quod plerique antiqui Philosophi, etsi Mundum æternum statuerent, non negarunt tamen, existere supremam causam, quæ Mundum gubernaret, quæque a nobis dicitur Deus. Et quidem nonnulli id tantum probare conati sunt, aliquod ens ab æterno existere debuisse, & hoc Universum non potuisse a nihilo esse productum. Atque ad hæc duo reduci possunt omnia argumenta Ocelli Lucani (1). Nonnulli aggressi sunt ostendere, Mun-

---

(1) Ocellus Lucanus pluribus in locis ita quidem de Mundo loquitur, ut opinari videatur, illum a se ipso existere. Dicit enim, *Mundum non potuisse generari, neque posse corrumpi: non habere initium, neque finem: esse per se ipsum æternum, perfectum, ac permanentem: formam, substantiam, ac materiam Universi esse necessario æternas*. At aliis in locis, aliisque in fragmentis, quæ hujus Auctoris extant, affirmat, *omnia entia hujus Mundi*, utcumque æterna, & necessaria fingantur, fuisse productionem *spiritus æterni, & intelligentis: Mundum accepisse suam pulchritudinem, & harmoniam a perfectionibus hujus intelligentiæ*, atque inde peculiariter esse repetenda *organa sensuum, facultates, ac appetitus hominis*.

dum esse æternam, & necessariam productionem omnipotentiæ essentialis, & immutabilis naturæ divinæ. Et hæc fuisse videtur sententia Aristotelis (1). Nonnulli tandem docere tantum voluerunt, Mundum esse æternam, ac liberam emanationem supremæ causæ infinita sapientia præditæ. Atque ita plerique Platonici senserunt (2).

§. 14. Merito igitur ex huc usque dictis colligi potest 1°. homines a Mundi incunabulis sem-

(1) Aristoteles ideo Mundi æternitatem propugnavit, quia in ea fuit sententia, tam pulchrum opus, quale est Mundus, debuisse necessario esse productionem æternam causæ æternæ, & præstantissimæ, qualis est Deus. Cæterum tantum abest, ut putaverit, materiam fuisse primam, & *originariam* causam rerum omnium, quin potius in descriptione, quam de Deo tradit, illum repræsentet tanquam *ens intelligens, & incorporeum* (Diog. in vita Arist.), *primum motorem rerum omnium*, (Arist. Methaph.) ac ibidem aperte scribat: *Si in Universo non haberetur nisi materia, non existeret causa prima, & originalis, sed progressio causarum ad infinitum, quod est absurdum*.

(2) *Sicuti enim inquiunt* (Platonici) *si pes ex æternitate semper fuisset in pulvere, semper ei subesset vestigium, quod tamen vestigium a calcante factum non dubitaret, nec alterum altero prius esset, quamvis alterum ab altero factum esset: sic inquiunt, & Mundus, atque in illo Dii creati & semper fuerunt, semper existente, qui fecit, & tamen facti sunt*. S. Augustinus *de Civitate Dei* lib. X. cap. 31.

ſemper conſenſiſſe in uno ſupremo Numine ſtatuendo, quod ſit rerum omnium, quæ exiſtunt, cauſa, & origo. 2°. univerſalem hanc, & perennem hominum conſenſionem neque ab hiſtoricis, neque a viatoribus, neque ab antiquis Philoſophis labefactari, imo eam a celebrioribus, doctioribuſque Divinitatis hoſtibus confirmari. Quis igitur ſolis propriis luminibus univerſalem, & perennem humani generis auctoritatem æquabit, ac Dei exiſtentiam fateri renuet?

CAPUT II.

De existentia Dei ex principiis phyſicis.

§. 15. Principia phyſica ea ſunt, quæ ex contemplatione ducuntur Univerſitatis hujus. Jam vero vel contemplemur 1°. *motum in univerſa materia exiſtentem*, vel 2°. *motum cæleſtium corporum*, vel 3°. *primam rerum productionem*, quæ Mechanicæ leges omnino excedit, vel 4°. *pulchritudinem*, *magnitudinemque Univerſi*, in quo mira partium harmonia, miraque proportio inter *media* & *fines* elucent, undique invictiſſima argumenta pro Dei exiſtentia ſtatuenda nobis præſto ſunt.

§. 16. Et revera 1°. *motus in univerſa materia exiſtens* vel eſt materiæ eſſentialis, vel a cauſa extrinſeca, nempe a Deo productus fuit. Sed dici nequit, motum eſſe materiæ eſſentialem, cum materia ſine motu exiſtere poſſit, ac nullam involvat contradictionem concipere materiam omni motu expertem. Igitur a cauſa extrinſeca in materia productus fuit. Igitur exiſtit Deus. Quod quidem

magis etiam elucescit, si animadvertamus, nullam inter materiæ proprietates reperiri, quæ motum necessario exquirat. Motum non exquirit *extensio*, cum extensio conveniat etiam spatio, quod tamen est immobile. Motum non efflagitat *divisibilitas*, cum hæc proprietas potestatem ad motum, non motum ipsum repræsentet, ac ipsa partium divisio motum consequatur, non producat. Motum non expostulat *impenetrabilitas*, cum corpora quiescientia non minus sint impenetrabilia, quam quæ actu moventur. Motum non requirit *inertia*, *figura*, *mobilitas*, cum inertia vel sit indifferentia ad statum quemlibet aut motus, aut quietis, vel conatus ad statum proprium aut motus, aut quietis conservandum; figura vero motum faciliorem reddat, non illum producat, ac tandem mobilitas se habeat ad motum, ut potentia ad actum. Nec ex eo quod materia sit gravis, imo ipsa gravitas sit quædam motus ratio, inferre licet, motum esse materiæ essentialem. Nam gravitas est tendentia versus centrum, ac ideo datur in materia, quia datur systema, in quo est hujusmodi centrum. Patet autem hoc systema non esse essentiale materiæ, ac potuisse materiam sine ullo systemate, ac proinde sine gravitate existere. Sub quocumque igitur adspectu materiam inspiciamus, nullo modo evinci potest, motum esse materiæ essentialem; ideoque ex motu in universa materia existente concludendum est Dei existentiam splendescere.

§. 17. Quod 2°. *corporum cælestium motus* potiori ratione confirmant. Corpora enim cœlestia ne dum generatim moventur, sed observatione teste, moventur celeritatibus diversis, diversis directionibus, ac omnia constanter

quasdam leges observant, ex quibus conservatio, pulchritudo, ac perfectio Universi pendent. Quomodonam hujusmodi diversæ celeritates, diversæque directiones independenter a Deo explicari poterunt? Dicent ne Athei, Planetas a materia *subtili* Cartesii, quæ illos undique cingat, quæque in gyrum moveatur, rapi per totidem *ellipses* circa solem, qui centrum sit vorticis? At in primis motus materiæ subtilis in gyrum independenter a causa, quæ illi motum imprimat, quæque singulis instantibus tantam motus quantitatem illi communicet, quantam ipsa communicat Planetis, concipi nequit, cum illa iners omnino ex sua natura sit. Deinde si Planetæ hoc vortice moverentur, circulum, non ellipsim circa solem describerent, nec Cometæ per diversas directiones, nempe alii ab occasu in ortum, alii vero ab ortu in occasum moveri possent, quæ tamen omnia observationibus astronomicis repugnant. Dicentne, *gravitatem* a Newtono detectam in causa esse, cur Planetæ ellipses circa solem describant? Sed in primis gravitas a corporis natura non profluit, nam 1°. gravitas non existit sine systemate, quod naturæ corporis non est necessarium, ut jam §. antecedenti observavimus. 2° cum natura corporis sit immutabilis, immutabilis quoque esse deberet gravitas, si ex ejus natura descenderet, quod tamen observationibus adversatur; gravitas enim ex observationibus diversa est pro diversis locorum, ad quæ corpora diriguntur, distantiis. Deinde & si ad liberalitatem daretur, gravitatem in planetis esse necessariam, non possent tamen sola gravitate ellipses circa solem describere. Cum enim ea mutua sit, planetæ sola gravitate mutuo agitarentur mo-

tu, ac omnes tandem per lineas rectas, motuque accelerato in solem deciderent, qui dicitur, estque revera omnium gravium corporum centrum. Ad ellipses igitur circa solem describendas præter Newtoni gravitatem, quæ descrescat in ratione duplicata distantiarum, requiritur, ut planetæ *vi projectionis* agitentur, qua constanter a sole arceantur, quaque sola per *tangentem* propriæ orbitæ moverentur. Cum autem hæc vis projectionis in planetis diversa sit, ac in cometis diversas etiam habeat directiones, nullo modo a natura corporum cœlestium repeti potest, cum evidens sit, omnia indiscriminatim corpora quamcumque in partem, & quo volumus motu, moveri posse. Fateantur igitur Athei necesse est, dum corpora cœlestia contemplantur, existere causam liberam, quæ vim saltem projectionis pro lubito planetis impresserit.

§. 18. Et id eo vel magis, quia 3°. *prima* corporum cœlestium, ac totius Mundi *productio* Mechanicæ leges omnino excedit. Eodem enim modo, quo horologium mechanicis quidem legibus regi, conservarique potest, dum jam ab artifice confectum fuit, sed primo oriri nequit, nisi liberis, sapientibusque operationibus, quæ Mechanicæ leges prorsus excedant, ac aliquando etiam iisdem adversentur, ita etiam hæc Mundi machina, quamvis solis Mechanicæ legibus regi, conservarique posset; primo tamen produci non potuit, nisi ab Artifice infinita sapientia, consilioque prædito, qui supra omnes motus leges operatus fuerit. Et re quidem vera explicent Athei Mechanicæ legibus primam productionem, ac dispositionem Universitatis hujus. Explicent, quibus motus legibus fieri debe-

bat, ut fluidum illud subtilissimum, quod *lux* appellatur, a crassioribus, magisque densis corporibus separaretur, ac in Sole, & Stellis coagmentaretur. Explicent, quænam Mechanicæ lex expostulaverit, ut stellæ, & planetæ illam haberent figuram, situm, ac distantiam, quam nunc in Universo obtinent. Explicent, quænam Mechanicæ lex efflagitaverit, ut Terra unum satellitem, Juppiter quatuor, septem (1) Saturnus haberet, ac Saturnus solus annulo etiam quodam cingeretur. Explicent, quæ fuerit lex Mechanicæ, qua planetarum orbitæ parum excentricæ, in eadem directione, ac fere in eodem plano statutæ sunt, cometarum vero maxime excentricæ, per omnes directiones, ac in planis admodum inter se dissitis. Ac ne infinitus fiam, explicent motus legibus tam variam florum productionem, tam multiplicem plantarum compositionem, mirandamque *organizationem*, quæ ab elephante ad tarmetem in omnibus animantibus reperitur. Nonne cæcutire omnino est, omnique rationi valedicere, a motus legibus hæc, aliaque hujusmodi repetere?

§. 19. Atque hinc 4°. late patet via ad Dei existentiam demonstrandam *ex pulchritudine, & magnitudine Universi*, in quo mira

(1) Saturni satellites ad hæc usque tempora quinque tantum ab Astronomis statuti sunt. Sed D. Herschell nunc duos alios detegit, ac observat etiam in Saturni annulo rotationis motum, qui decem horis, nonnullisque minutis absolvitur.

partium harmonia, miraque proportio inter *media*, & *fines* renident. Prætereo hic illam pulchritudinem, quæ in tota Mundi machina, ac in omnibus ejus partibus juxta propriam naturam tam magna est, ut omnia artis artificia longe superet (1). Prætereo etiam magnitudinem illam, qua ex una parte globus terraqueus præ sole vix parva pila, præ systemate vero planetario vix milii granum habendus est (2); ex altera vero tarmes præ insectis microscopio conspicuis millies, ac millies major est reputandus (3). Contemplandas tantum proponimus innumeras, longeque inter se diversas Universi partes, quæ omnes in proprio genere ita perfectæ sunt, ac tali harmonia, talique proportione *mediorum*, *finiumque* dispositæ, ut omnium vincant admirationem. Quis v. g. non stupeat, si ex locis numero infinitis, in quibus Terra collocari potuisset respectu Solis, in eo illam positam videat, qui suæ constitutioni magis est accommodatus? Si enim in Mercurii regionibus fuisset constituta, incendio universali statim in cineres redacta fuisset. Contra si versus Jovem planetam translata fuisset, a Sole nimium dissita statim frigore torpuisset, ac glacie perpetua cum fluviorum, tum maris aquæ constrictæ fuissent. Quis dum plantarum, ac animantium infini-

---

(1) Videatur Wilkins *Relat. Nat. lib.* 1. *c.* 6., Lyonnet *Teolog. dell' Insetti Tom.* II. c. 4.
(2) Videatur Hugen, *Cosmotheor. lib.* II. p. 711., Maraldi *Histoire de l' Acad. an.* 1716., Niewentit. *Exist. de Dieu lib.* 3. c. 1.
(3) *Hist. de l' Academ. ann.* 1718.

tum artificium tantisper considerat, non detegeat cum Galeno in qualibet vel minima parte sapientissimum Opificem, cumeoque non exclamet: *hominis fabricam esse hymnum magis Deo gloriosum, quam thus, & hecatombas sanguis?* „ Perchè l'animale si conservasse (*inquit Cl. P. Valsecchius* de' Fondamenti della Religione *Tom. I cap. II. pag.* 40.) era „ duopo, che il chilo non uscisse già colle „ feccie, ma pel corpo tutto si dispensasse. „ Ad un tal fine attaccati si trovano agli in„ testini quei sottilissimi canali, che *vene lat„ tee* si appellano, atti a ricevere questo gen„ til liquore, ed a portarlo in un vaso, che „ dicesi appunto recettacolo del chilo, da „ cui sorgendo lungo le vertebre dorsali un „ condotto, egli lo innalza, e col mezzo di „ spesse valvule lo sostenta fino che arrivi „ alla vena suclavia, in cui mette foce. Ma „ come esser potea, che in questa vena, in „ cui scorre il sangue, entrar dovesse il chi„ lo, e non più tosto giù pel condotto del „ chilo precipitar dovesse il sangue di quel„ la vena? Ecco: entro la vena stessa sopra „ l'orifizio del condotto del chilo scorgesi „ una membrana, che facendo l'officio di „ valvula impedisce in un tempo medesimo, „ che il sangue sopra di essa scorrendo scen„ da giù pel canale, ed essendo aperta dal „ lato opposto a quello, da cui viene il san„ gue, lascia, che per tal foro entri il chi„ lo nella vena, e dalla corrente del sangue „ questo umore rapito, faccia con esso lui „ una massa, e passi unito ad esso nel cuo„ re, e quinci poi pel corpo col cicolare dif„ fondasi; ed in tal guisa l'animale riceva „ conservazione ed accrescimento. Ma que„ sta valvula maravigliosa, chiegg' io, al op-

,, portunamente lavorata, e piantata, la cui
,, mercè e s'impedisce il disordine mortale,
,, che accaderebbe alla machina col precipi-
,, tare giù pel condotto torachico il sangue,
,, e si mantiene dell' animal la vita col mi-
,, schiare al sangue il chilo, che n'è l'ali-
,, mento, questa valvula, io ripiglio, chi
,, mai se non un sommo Saggio in quel pre-
,, ciso punto di quella vena, e in tal forma
,, distesa la collocò? La circolazione del san-
,, gue, in questi ultimi tempi posta col lu-
,, me delle esperienze fuor di ogni dubbio,
,, qual apparato stupendo di canali, di vasi,
,, di valvule, di legami, di seni non richie-
,, deva, perchè questo umor vitale dal cuo-
,, re uscendo fino alle somme, ed ime parti
,, del corpo si diffondesse, e facesse quinci
,, al cuore stesso ritorno, con velocità tanto
,, rapida, che giusta i calcoli dell'Arveo, ven-
,, ti fiate in un'ora la massa tutta del san-
,, gue, ascendente in un'uomo al peso di cir-
,, ca ventiquattro libre, il suo giro compien-
,, do, pel cuore passasse? E pure tutti que-
,, sti varj ordini a questo perpetuo velocissi-
,, mo moto ordinati, in un corpo animale
,, ritrovansi, e tutti montati a quel punto
,, preciso, che alla grand'opra si richiede.
,, Ma che fa mestieri distendersi sopra un
,, argomento, che non ha quasi confini? Di-
,, ciamo in iscorcio: la fabrica, e la forza
,, de' muscoli, la tessitura del cerebro, la di-
,, sposizione dell'ossa, la diramazione de' ner-
,, vi, la materia, il sito, le vesti, e le dife-
,, se, onde munite sono le viscere; tutto ciò
,, è per chiunque ci pensi, oggetto di sor-
,, prendimento, non solamente per la mae-
,, stria, che in ciascuna di coteste parti ri-
,, splende, ma molto più per quella, che

„ han tra loro proporzionatissima connessio-
„ ne stretta tanto, e invariabile, che se una
„ sola delle parti, che l'animal compongo-
„ no, cangiar si volesse o di sito, o di gran-
„ dezza, o di consistenza, o di altra qua-
„ lunque sua proprietà, tosto il disordine,
„ la rovina, o almeno la deformità della ma-
„ china ne seguirebbe. Ora e in questo com-
„ plesso maraviglioso di cose, e in questa
„ proporzione adattatissima di mezzi al fine,
„ eseguita in materia sì fragile, in siti tanto
„ intralciati, con parti sì numerose, e diver-
„ se, non ci sarà nè disegno, nè scelta, nè
„ mente, nè idea; ma tutto avrà sua origi-
„ ne da una voce vota di senso, qual è nel-
„ la bocca degli Increduli, la natura, e il
„ caso? Per verità non ci vogliono, se non
„ se *spiriti forti* per udir senza sdegno fol-
„ lia sì strana „. Legatur Niewentit, Der-
ham, Lesserus, qui *a caussis finalibus* Deum
existere plane demonstrant.

§. 20. Athei omnem movent lapidem, ut quatuor recensita argumenta physica convellant. Contra primum desumptum *ex motu in universa materia existente* insurgunt Tolandus, & Auctor *naturæ systematis*. Tolandus in primis *lib.* 3. contendit, corpori necessario & ex natura sua convenire saltem *conatum ad motum*. Deinceps apud cl. Christophorum Sarti Theol. Nat. Lib. I. parte tertia cap. 1. ita argumentatur 1.°. Materiæ essentialis est divisibilitas. Sed divisibilitas necessario motum involvit. Ergo motus est materiæ essentialis. 2°. Quævis materia necessario & essentialiter copulata est *qualitatibus sensibilibus*. Sed qualitates sensibiles haberi nequeunt sine motu, suntque revera effectus motus. Ergo motus est materiæ essentialis. 3°. Nul-

la materia est, quæ non moveatur, quemadmodum nulla materia est, quæ non sit extensa. Sed extensio essentiale est materiæ attributum. Ergo idem de motu dicendum, ideoque motus est materiæ essentialis.

Auctor *naturæ systematis* ipse quoque in primis interroganti, undenam motum Natura acceperit, respondet 1°. eam a semetipsa motu gaudere, cum sit id omne, quod existat, ac nihil extra eamdem existat (1) 2°. motum esse modum existendi, qui necessario ab essentia materiæ dimanat; materiam propria energia moveri; materiæ motus profluere a viribus, quæ illi inhærent; varios materiæ motus, & phænomena, quæ inde oriuntur, originem habere a diversis proprietatibus, qualitatibus, & conjunctionibus, quæ originarie habentur in variis partibus primigeniis, quæ simul conjunctæ Naturam constituunt (2).

---

(1) Mais nous dira-t-on, d'où cette nature a-t-elle réçu son mouvement? nous repondrons que c'est d'elle-même, puisqu'elle est le grand tout, hors duquel conséquemment rien ne peut exister. *Chap.* II.

(2) Nous dirons que le mouvement est une façon d'être qui découle nécessairement de l'essence de la materie. Qu'elle (la materie) se meut par sa propre énergie. Que ses mouvements ont dûs aux forces qui lui sont inhérentes. Que la variété de ses mouvemens & des phénomènes qui en résultent, viennent de la diversité des proprietés, des qualités, des combinaisons qui se trouvent originairement dans les differentes matières primitives, dont la nature est l'assemblage. *Ibid.*

Deinde apud laudatum Christophorum Sarti loc. cit. ita ratiocinatur. 1°. Natura est totum quid activum, quod non esset amplius natura, si non ageret, nempe nisi ipsi necessario motus competeret. Ergo motus est materiæ essentialis. 2°. Omnes Philosophi consentiunt, singulas materiæ partes in perenni motu versari. Ergo revera motus est materiæ essentialis. 3°. Materia a sola materia movetur, neque dum materia movet materiam, ad id opus est impulsione aliqua extrinseca, ut aperte suadent mixta, quæ aut loci, aut dispositionis partium, aut alterius rationis causa ad agendum comparata invicem, statim invicem agunt, mirandosque effectus producunt. Ergo motus est materiæ essentialis. 4°. Qui motum non esse essentialem materiæ propugnat, agnoscat necesse est exteriorem causam, quæ motum in materia produxerit. Hoc autem quid magis pugnans dici, vel excogitari potest? Ergo motus est materiæ essentialis. 5°. Ens ab æterno existens (nempe Universi materia) suam ab alio existentiam habere nequit. Ergo illud pendere solum ab alio propter sibi communicatam actionem. Sed ens ab æterno existens, seu per se ipsum existens omnia in se, quæ ad agendum requiruntur, natura suapte continet; ergo communicato motu non indiget; ergo illum habet a semetipso; ergo illi motus est essentialis.

§. 21. Ex harum rationum futilitate facile quisque de Atheorum causa judicare potest. Singulas percurramus.

Dum Tolandus in primis asserit, in corpore ex natura sua *conatum ad motum* reperiri, vel loquitur de conatu ad motum per unam determinatam directionem, vel per o-

omnes directiones simul. Conatus ad motum per unam determinatam directionem non potest esse materiæ essentialis, cum nihil in natura materiæ deprehendatur, quod illam necessario, & essentialiter determinare possit ad unam potius, quam ad alteram directionem, evidens enim omnino est, materiam illa, qua volumus, directione continuo moveri. Conatus vero ad motum per omnes directiones simul & involvit contradictionem, & perpetuam quietem in materia inducit, cum nulla sit ratio sufficiens, cur hic conatus major per unam, quam per alteram directionem fingatur. Hinc merito Cardinalis de Polignac in Antilucretio lib. IV. ver. 1402. ajebat.

Si nativus erit per se se in corpore motus,
Ut dos materiæ qualis, quantusve rogabo:
Quam versus mundi partem? lentusne? citusne?
Rectus, an obliquus? forsan curvatus in orbem?
Nam cuncti esse simul nequeunt, unum esse necesse est.
Si talem, aut talem dicas; alium esse repugnat;
Nam secus esse nequit, natura quod ipsa poposcit.
Sed motus nullæ species cum corpore pugnant:
Cur ergo hanc, per se præ cunctis corpus habebit,
Æquo jure aliam per se cum possit habere?
Hanc etiam, si per se habeat, variare nequibit:
Nam quod naturæ est, nulla est mutabile causa.
Sed motum semper variari posse videmus:
Ergo materiæ nativum haud esse fatendum est.

In primo syllogismo, quem apud Christophorum Sarti affert Tolandus, falsa omnino est *Minor*, nempe: *Sed divisibilitas motum necessario involvit*: Etenim ex iis, quæ §. 15. diximus, aperte patet, divisibilitatem potentiam ad motum, non motum ipsum invol-

vere. Imo, cum materiæ partes reapse non dividantur, nisi actione extrinsecæ causæ, quæ in ipsas agat; clarum est, dum materia dividitur, ab extrinseca causa motum in ipsa produci, ac proinde ex divisionis natura potius consequitur, ipsum in materia motum ab extrinseco principio prodire.

In secundo syllogismo falsa prorsus est *Major*, scilicet, *Quævis materia necessario, & essentialiter copulata est qualitatibus sensibilibus*. Nam ad qualitates sensibiles actu excitandas 1°. requiritur existentia motus in materia, 2°. existentia mentis humanæ, quæ per organa corporis juxta legem commercii a Deo sancitam ejusmodi motum excipiat, cum qualitates sensibiles non sint *entitates* corporibus inhærentes, sed variæ tantum animorum modificationes ope impressionum, quæ fiunt in organa (Psychologiæ §. 61.) Cum igitur & existentia motus in materia, & existentia mentis humanæ necessario & essentialiter eidem materiæ non copulentur, falsum omnino est, quamvis materiam necessario, & essentialiter qualitatibus sensibilibus esse copulatam. Omnis itaque nexus inter materiam, & qualitates sensibiles est omnino hypotheticus, nempe pendet cum ab existentia motus, tum ab existentia animorum, legeque Conditoris, cui si placuisset, vel salva materiæ ratione, rem aliter potuisset efficere.

In tertio syllogismo non valet paritas, quam inter motum, & extensionem Tolandus instituit. Nam extensio in quavis materiæ idea repræsentatur, motus vero in plurimis non exhibetur. Sublata extensionis idea, cætera quoque auferuntur in materia; sublata vero idea motus, adhuc plura supersunt. Hinc concessa *Majore*, nempe, *nulla materia est, quæ*

non moveatur, *quemadmodum nulla materia est*, *quæ non sit extensa*, &c. concessa. *Minore*, scilicet: *sed extensio essentiale est materiæ attributum*, negari debet. *Consequentia*. Potuit enim cujuslibet materiæ motus ab extrinseco principio prodire. Potuit profluere a gravitate, & vi attractionis, quæ a corporis natura non dimanant (§. 16.) Potuit oriri, imo revera ortus est a principio extrinseco, simulque a viribus gravitatis & attractionis, ut Astronomia docet. Cæterum plura statuenda corpora sunt, quæ relative quiescant. Ita saxa, mineralia in terræ visceribus latitantia, cum eumdem relate ad alia corpora circumposita semper situm retineant, relative quiescunt.

§. 22. Auctor *naturæ systematis*, dum interroganti, undenam natura motum receperit, respondet 1°. naturam a semetipsa motu gaudere, cum sit omne quod existit, ac nihil extra eamdem existat, ponit id quod in disputationem cadit, ac dialecticæ ignorationis argumentum præbet. Etenim *naturæ* nomine is intelligit *materiam*, &. *motum*, ac supponit certum id, de quo disputatur, nempe nihil præter materiam, & motum existere. Ejus igitur argumentandi ratio est hujusmodi: Præter naturam, idest præter materiam & motum nihil existere potest, quia est id omne quod existit: Ideo autem natura est id omne, quod existit, quia nihil præter ipsam existere potest. Probat igitur idem per idem, nempe in eam fallaciam cadit, quam *petitionem principii* appellant Dialectici. Dum vero respondet 2°. motum materiæ convenire, vel quia motus est modus existendi, qui necessario ab essentia materiæ dimanat, vel quia materia movetur propria energia &c., & infelici repetitione utitur, & nihil probat. U-

ticur infelici repetitione, cum idem omnino significet: *motum esse modum existendi ab essentia materiæ dimanantem*, vel *materiam moveri propria energia*, vel *motum oriri a viribus materiæ inhærentibus*, vel *eumdem originem habere a diversis proprietatibus, qualitatibus, & conjunctionibus, quæ originarie habentur in primigeniis materiæ partibus*. Nihil vero probat, cum allatæ propositiones identicæ nulla ratione demonstrentur, gratisque ut veræ statuantur. Quam autem omnes falsæ sint, aperte ostendit ratiocinatio §. 15. a nobis allata; ex ea enim clare patet, ex nulla materiæ proprietate necessario motum dimanare.

Nec graviora sunt quinque argumenta, quæ adhibet apud Christophorum Sarti. Etenim in primo ita distinguendum est *Antecedens: Natura est totum quid activum, quod non esset amplius natura, nisi ageret, nempe, nisi eidem motus competeret*: per Atheos *concedo* Antecedens, Per Theistas *nego* Antecedens, & Consequentiam. Vocabulum *natura* per Atheos significat materiam per se existentem, ac motum ex ejus essentia necessario dimanantem. Nobis autem, qui Dei existentiam statuimus, hic denotat causarum secundarum compagem, motusque omnes, qui ex adjunctis a prima causa viribus proficiscuntur. Quemadmodum igitur ex definitione, quam de natura nos tradimus, inepte nos conficeremus, motum esse naturæ adjunctum, ita inepte prorsus ex definitione, quam de natura tradit Mirabodius, conficere conatur, motum esse materiæ essentialem. Hæc enim demonstrandi ratio est *petitio principii*.

In secundo argumento neganda est *consequentia*. Ex eo enim quod omnes modo Philosophi statuant, singulas materiæ partes in

perenni motu versari, non consequitur, motum esse materiæ essentialem, cum motus materiæ cujuslibet ex superius dictis oriantur a principio extrinseco, simulque a gravitate, & attractione, quæ necessario in materia non existunt.

In tertio falsa omnino est prima pars Antecedentis: *Materia a sola materia movetur*, cum etiam mentes humanæ, quæ non sunt materia, in corpus agant, illudque pro lubito moveant. Altera vero Antecedentis pars: *Neque dum materia movet materiam, ad id opus est impulsione aliqua extrinseca*, ita distinguenda est: aliquando *concedo*, semper *nego*. Mutuus enim corporum conflictus quotidie ostendit, innumeros motus in materia fieri propter impulsionem extrinsecam, eaque solum obtineri. Quod si aliquando materia movet materiam sine impulsione extrinseca, ut suadent mixta, id provenit ex attractionibus peculiaribus, quas *affinitates chimicas* appellant. Cum igitur hæ attractiones peculiares non sint materiæ essentiales, qui ex iis oriuntur motus non essentiales, sed *adjuncti*, vel, ut dicunt, communicationis existimandi sunt.

In quarto remanet Mirabodio demonstrandum, pugnans esse, materiam a principio extrinseco motum accepisse. Neque enim video aliquam apparere pugnam in eorum sententia, qui putant, motum materiæ communicatum fuisse, dum illi existentia tributa fuit.

Tandem in quinto 1°. supponit, Universi materiam esse æternam, seu ab æterno existere, quod quidem non supponi, sed probari debet. 2°. supponit ens ab æterno existens esse semper ens a se ipso existens, & ab omni alio independens, quod rursus

non ſupponi, ſed probari debet. Ut enim §. 12. obſervavimus, Platonici plures, ac etiam plures Scholaſtici opinati ſunt, non repugnare ens ab æterno exiſtens, quod tamen a ſe non exiſtat, ſed ab alio exiſtentiam acceperit. Nullius igitur ponderis eſt hoc argumentum.

Cæterum quod mireris in hoc futili prorſus Philoſopho, qui tamen tanti ab impiis hominibus æſtimatur, eſt, quod ſibi aperte contradicit. Poſtquam enim omnes adhibuit conatus, ut oſtenderet, motum eſſe eſſentialem materiæ, dividit omnes motus in *acquiſitos*, qui a cauſa extrinſeca proveniunt, & in *ſpontaneos*, qui nullam cauſam extrinſecam habent, aperteque ſcribit, *nullos eſſe motus ſpontaneos in variis naturæ corporibus, cum omnes eorum motus a cauſis vel viſibilibus, vel inviſibilibus, quæ in illa agunt*, producantur (1) Si igitur ex Mirabodio nulli ſunt in

---

(1) Les mouvemens, ſoient viſibles, ſoient cachés, ſont appellés mouvemens *acquis*, quand ils ſont imprimés à un corps par une cauſe étrangere, ou par une force exiſtante hors de lui.... C'eſt ainſi que nous nommons *acquis* le mouvement que le vent fait prendre aux voiles d'un vaiſſeau. Nous applenons *ſpontanés* les mouvemens excités dans un corps qui renferme en lui-même la cauſe des changémens que nous voyons s'operer en lui; alors nous diſons que ce corps agit & ſe meut par ſa propre energie. De cette eſpece ſont les mouvemens de l'homme qui marche, qui parle, qui penſe: & cependant, ſi nous régardons la choſe de

variis naturæ corporibus motus *spontanei*, erunt omnes *acquisiti*, nempe provenient omnes ex causa extrinseca extra corpora existente. Ergo motus ex Mirabodio non erit essentialis materiæ, ac proinde extra corporum seriem existet causa incorporea omnium corporum motrix, & domina; unde ex motu in universa materia existente clara erit existentia Dei.

§. 23. Secundum, & tertium argumentum physicum, quibus *ex motu planetarum. & ex prima rerum productione* Dei existentiam demonstravimus, impugnat Auctor Bibliothecæ Londini editæ, qui ita ratiocinatur: *An nos ita cognoscimus naturam rerum, ut judicare possimus, Mundum non potuisse existere, nisi ea ratione, quam nos concipimus?* nempe nisi asseramus Deum planetis vim *projectionis* impertitum fuisse, ac res omnes produxisse potentia, quæ Mechanicæ leges omnino excedat? *Quisnam scit an in existentiæ sinu existant fontes, quorum nullam prorsus ideam habeamus? Quisnam scit an in existentiæ sinu existant vires, quæ tales, ac tales effectus producere possint?* quæ proinde & planetis vim projectionis impertitæ fuerint, & Mundum primo condiderint? (1) Sed hujusmodi Pyrrhonismum,

---

plus près, nous serons convaincus, qu'à parler strictement, il n'y a point de mouvements *spontanés* dans les différens corps de la nature, ou qu'ils agissent continuellement les uns sur les autres, & que tous leurs changemens sont dûs à des causes soit visibles, soit cachées, qui les remûent. *Chap. II.*

(1) Connoissons-nous assez la nature des choses pour decider qu'un Monde ne peut

quod invicti roboris habet Auctor, futilem prorsus esse facile demonstratur. Etenim 1°. utcumque nos lateat natura rerum, certi tamen ex quotidiana experientia sumus, materiam & ex sua natura inertem esse, & majori, minorive celeritate posse moveri, & una potius quam altera directione posse impelli, & infinitis prorsus modis posse coagmentari. Nisi igitur concipiamus causam extrinsecam, quæ Planetis vim gravitatis & projectionis una potius quam altera directione tribuerit, ac pro lubito Mundum disposuerit, nullo modo intelligi potest & motus planetarum, & præsens corporum cœlestium distributio. Neque enim abdita natura rerum pugnare potest cum iis proprietatibus, quas ex experientia quotidiana in materia deprehendimus, cum nulla res conflari possit ex iis, quæ se mutuo destruunt. 2°. utcunque ignoremus fontes & vires in hac rerum universitate existentes, certi tamen sumus, excluso Deo, nullum fontem, nullamque vim dari posse, ex quibus hic Mundus oriri potuerit. Et revera fingamus, si fieri possit, dari in Universo aliquas vires, ex quibus Mundi origo repetenda sit. Aut hæ vires statuuntur a materia distinctæ, vel non. Secundum pugnat cum ipsa materiæ natura,

venir a être que de la maniere, que nous concevons? Qui sait, s'il n'y a pas dans le sein de l'Etre mille ressources, dont nous n'avons pas même l'idée? Qui sait, s'il ne se trouve pas dans l'Etre des forces productrices pour telles & telles productions? *Bibliot. Raison. Tom. 48. Part. 2. art. 2.*

neque enim materia esset amplius stupida & iners, si hujusmodi vires cum ipsa materia *identificarentur*. Dicendæ igitur erunt a materia distinctæ. Hoc autem posito vires hæ vel statuuntur pendentes a principio aliquo superiori, quod ipsas moderetur ac regat, aut omnino independentes prædicantur. Si a principio superiori pendeant, hoc principium, non ipsæ, erit Mundi origo, ac proinde hoc principium, non ipsæ, erit prima causa motus planetarum, ac præsentis rerum ordinis. Sin vero omnino independentes prædicentur, igitur a semetipsis existent, ac proinde erunt *necessariæ, æternæ, infinitæ*. Motus igitur planetarum, ac præsens rerum ordo originem habebunt a tot entibus necessariis, æternis, infinitis, nempe a tot Diis, quot ex hisce viribus excogitantur. Igitur semper verum erit, excluso Deo, impossibile omnino esse, dari fontes, & vires, ex quibus hic Mundus oriri potuerit. Potestne major esse allati Pyrrhonismi futilitas?

§. 24. Tandem contra ultimum argumentum *ex pulchritudine, & magnitudine Universi* derivatum, in quo mira partium harmonia, miraque proportio inter media & fines elucent, insurgunt Epicurei, atque opponunt, quod sicuti in probabilibus est v. g. Homeri Iliadem ex fortuito literarum jactu prodire, si infinita fiat literarum, quibus constat, coagmentatio, ita, si fingamus materiam æternam, ac motum æternum, probabile omnino fuit, casu quodam hæc omnia facta fuisse, dum atomi aliæ aliis occurrerent, ac per totam æternitatem invicem implicarentur; ideoque quod præsens pulchritudo, ac magnitudo Universi certo non evincit, existere Deum.

In eo tamen, dum ita ratiocinantur, turpiter errant, quod eamdem statuant probabilitatem pro fortuito ortu Iliadis, si literarum, quibus conflatur, infinita fiat coagmentatio, ac pro fortuito ortu hujus Universi, si fingatur materia æterna, ponaturque atomos alias aliis occurrere, ac per totam æternitatem invicem implicari. Etenim si omnes literæ, quæ Homeri poema componunt, temere in saccum coniiciantur, tum extrahantur, & ordinentur omnes aliæ post alias, atque hujusmodi operatio repetatur in infinitum, evidens est, pluries esse redituram combinationem Homericam, cum finitus sit literarum numerus, ideoque finitus numerus combinationum. Verum in Mundi constitutione res longe aliter se habet. Etenim Planetæ circa solem certa lege in determinatis orbitis revolvuntur; spatium, in quo planetæ, aliique cœlestes globi suas periodos absolvunt, in longum, latum, & profundum quaquaversum patet. Porro rectæ in uno plano sunt infinitæ. Plana in spatio sunt infinita, & pro recta quavis in quovis plano infinita sunt curvarum genera, ac proinde & infinities plures sunt curvæ, quæ per datum punctorum numerum non transeunt. Præterea infinitis modis variari potest lex attractionis: pro quavis materiæ particula infinitus est dispositionum numerus; quare pro materiæ particulis simul sumptis habetur numerus combinationum infinitus per ipsum particularum numerum multiplicandus. Itaque in Mundi constitutione finitus non est casuum diversorum numerus, sed infinitus & quidem ordinis altissimi. Hinc quamvis ad insaniam philosophando poneretur materia æterna, ac a se ipsa existens, gratisque daretur, atomos

per totam æternitatem alias aliis occurrisse, invicemque fuisse implicatas, nullo tamen modo probabilis dici posset præsens Universi dispositio, cum numerus casuum possibilium sit infinitus, & quidem ordinis altissimi. Imo ex hoc infinito casuum possibilium numero necessario consequitur, probabilitatem, quod præsens Mundi dispositio per totam æternitatem sortita fuerit, esse ad certitudinem, ut est unitas ad infinitum ordinis altissimi (Log. §. 141.), ideoque physice nullam habendam esse. Merito itaque magnus Newtonus immanem hunc casuum diversorum numerum in ortu Universi contemplans in Scholio generali posito ad calcem principiorum ajebat: *Elegantissima hæc solis, Planetarum, & Cometarum compages nonnisi consilio, & dominio entis intelligentis, & potentis oriri potuit.*

§. 25. Atque ex ista responsione patet, quid sentiendum sit de sententia Mopertuisii, qui contendit, quod quamvis non sit valde probabile *casu* mota fuisse corpora eum in modum, in quem ipsa moventur, aliqua tamen probabilitas superest, quæ proinde facit, ut defendere nequeamus, hunc rerum ordinem, ac uniformitatem necessarium esse electionis effectum. Cum numerus casuum possibilium in ortu Universi sit infinitus & quidem ordinis altissimi, non aliqua, ut asserit Mopertuisius, probabilitas superest, hunc rerum ordinem & dispositionem casu prodiisse, sed superst tantum mera possibilitas, quæ physice nullam probabilitatem constituit. Hinc præsens ordo & uniformitas Universi, quamvis dici nequeat necessarius electionis effectus *necessitate mathematica*, dici tamen debet necessarius electionis effectus *necessitate physica*, quæ sufficit, ut Dei existentia plane

constet. Cæterum Mopertusius aliorum de Dei existentia demonstrationes impugnare conatur, ut suam *ab actione minima* ductam celebret extollatque. Sed præterquam quod ejus philosophandi ratio in eam sententiam adducit, ut credamus, neminem ante ipsum prorsus Dei existentiam demontrasse, id etiam vitii habet, ut qui analyticas formulas ignorant, divinam pariter existentiam ignorare debeant. Quo quid absurdius dici potest?

CAPUT III.

De existentia Dei ex principiis methaphysicis.

§. 26. PRincipia methaphysica existentiæ Dei, abstractione a rebus sensibilibus facta, generico quodam conatu sublimius, quam physica evehuntur, quamvis vel ipsa remote saltem a physicis deducantur. Ea varia ac multiplicia sunt. Celebria, quæ attulit D. Thomas inter Scholasticos. Celebria, quæ Clarkius, quæque Maasius dederunt. Nos elementorum angustiis impediti, duo tantum, quæ majoris ponderis visa sunt, hic afferemus.

§. 27. Primum *ex contingentia* tum singulorum corporum, quæ in Mundo existunt, cum universæ materiæ, ex quibus ipsa confluantur, deducimus.

Nullum hujus Universitatis ens *existendi necessitatem* habere, aperte ostendunt singulorum ortus, interitusque, ac innumeræ mutationes, quibus perpetuo singula subjiciuntur. Materiam universam, ex qua corpora conflantur, ipsam quoque contingentem esse, seu

nulla existendi necessitate esse præditam constat 1°. ex eo quod bruta, ac iners (1) omnino sit, nempe infinitis illis perfectionibus careat, quæ enti necessario conveniant oportet (Psych. §. 161.) 2°. ex ejus non existendi possibilitate, cum non existentia materiæ nullam contradictionem involvat. 3°. ex innumeris poris, qui ubique in corporibus occurrunt materia orbatis, existentia enim necessaria materiæ expostularet, ut omnia loca repleret, nullumque porum vacuum relinqueret, ac infinita esset. Singula igitur corpora *contingentia* sunt, ac *contingens* est materia, ex qua constantur. Sed existentia entium contingentium sine ente necessario, quod creandi potestatem habeat, intelligi nequit, cum si fingerentur producta ab aliis entibus contingentibus, de iis semper quæri deberet, cur existant, donec ad ens necessarium perveniatur. Ergo existit ens necessarium, quod cor-

---

(1) Ipse quoque Baylius fatetur, materiam infinitis perfectionibus carere, ac proinde illam non esse ens necessarium, & a se. Ita enim Epicureos existentiam necessariam materiæ statuentes reprehendit: *Il a fallu qu'ils avoüassent que l'existence nécéssaire peut convenir à une substance qui est d'ailleurs toute chargée de défauts, & d'imperfections, ce qui renverse une notion très-evidente, sçavoir que ce qui ne dépend de quoi que ce soit pour exister éternellement, doit-être infini en perfection, car qui est qui auroit mis des bornes à la puissance, & aux attributs d'un tel Etre!* Dict. Hist. Artic. *Epicur.* Rem. T.

corpora, ac materiam creavit, ac proinde existit Deus.

§. 28. Huic invictissimo argumento 1°. reponunt Athei negando collectionem rerum Universitatis hujus esse contingentem. Dicunt enim *ex contingentia* singularum rerum non consequi, earum quoque collectionem esse contingentem, cum *a sensu distributivo ad collectivum* nulla sit illatio. Hinc ex quo singula entia sint finita, inferri nequit, totam quoque illorum collectionem esse finitam. Ex quo singula possibilia possint existere, non sequitur posse simul existere totam possibilium collectionem. 2°. respondet Auctor *naturæ systematis*, plura esse quæ ostendant, materiam, ex qua corpora coalescunt, esse *ens a se*, & *necessarium*. Nam in primis, inquit, si hæc materia a se, & necessario non existeret, ea ex nihilo educta esset. Est autem eductio ex nihilo, ipsaque creatio vocabulum sine ulla significatione, præsertim si ad spirituale principium referatur, quod cum partibus, & extensione careat, motu quoque carere debet, ideoque nihil creare potest. Deinceps, inquit, omnium Philosophorum consensione probatum est: *ex nihilo nihil fieri, in nihilum nil posse reverti*, nempe materiam neque posse creari, neque annihilari, ideoque eam esse ens necessarium & a se.

§. 29. Sed nullius prorsus ponderis sunt hujusmodi cavillationes. Nam ad Atheos quod spectat, ex quo singulæ res universitatis hujus sint contingentes, legitime infertur, contingentem quoque esse integram illarum collectionem. Neque valet opponere *a sensu distributivo ad collectivum* non valere illationem. Nam in qualibet re distinguenda sunt *essentialia ab accidentalibus*. Ubi de secundis sermo

fit, erit utique inepta argumentatio a sensu distributivo ad collectivum. Hinc falsæ erunt hæ illationes: *Quælibet aquæ gutta modicissimam habet extensionem. Ergo totum mare modicissimam extensionem habet: singuli milites non sunt exercitus. Ergo tota collectio militum non est exercitus &c.* At ubi de essentialibus loquamur, certa est illatio a sensu distributivo ad collectivum. Hinc valent argumentationes: *Singuli lapides sunt corpus, singuli homines sunt rationis compotes. Ergo acervus lapidum est corporeus, ergo universa hominum collectio ratione pollet.* Porro *contingentia* rerum ad earum *essentialia*, non ad *accidentalia* pertinet, cum deficere absolute posse, nullaque intrinseca naturæ necessitate existere, nempe esse contingens, ex essentia rerum finita, ac limitata necessario consequatur. Ex quibus patet, cur non valeat argumentatio: *Singula entia sunt finita. Ergo illorum quoque tota collectio finita esse debet*, nam finitum & infinitum non refertur ad essentialia entium, sed ad eorum accidentalia, cum respiciat entium numerum, vel eorum extensionem. Patet etiam, cur non valeat altera argumentatio: *Singula possibilia possunt existere. Ergo tota simul existere potest possibilium collectio.* Quamvis enim possibilitas ad essentialia entium pertineat, attamen si ponantur existere actu possibilia omnia, nullum aliud possibile excogitari poterit, quod omnino repugnat, adversaturque rationi rerum possibilium. In hoc ergo argumento consequentia non procedit, quia *a finito*, nempe ab existentia singulorum possibilium, fit transitus *ad infinitum*, scilicet ad collectionem omnium possibilium, quæ sunt infinita. Hoc autem non contingit, cum *a contingentia* singularum rerum existentium, earumdem collectionis

contingentia deducitur; contingentium enim rerum existentium præfinitus est numerus.

§. 30. Quod pertinet Auctorem *naturæ systematis* concedimus *creationem* esse vocabulum sine nulla significatione, si *ad naturæ vires* referatur, cum naturæ vires finitæ sint, ac proinde omnia, quæ in natura fiunt, præexistentem aliquam materiam supponant. Negamus autem esse vocabulum sine ulla significatione, si *ad vires supra naturam agentes* referatur, si nempe referatur ad principium infinita potestate præditum. Quod quidem principium, ut creare possit, non eget, ut adversarius contendit, partibus, motuque. Aliud enim est *generare*, *creare* aliud. Dum generatur, & partibus, & extensione, & motu opus est, quo eadem in re corporea fiat generatio. At dum creatur, dum ex nihilo, ut inquiunt, sui, & subjecti aliquid educitur, totum quod requiritur, est infinita in principio potestas, est perfectio summa, unde possit sufficiens ratio creati effectus intelligi, explicarique. Ex quibus patet, Philosphorum axioma: *ex nihilo nihil fieri, in nihilum nil posse reverti* verum quidem esse, si cum iisdem Philosophis ad *naturæ vires* referatur, falsum autem omnino, si cum Auctore *naturæ systematis ad vires supra naturam agentes* turpiter extendatur.

§. 31. Alterum principium metaphysicum existentiæ Dei ex animæ nostræ contingentis existentia inferimus. Ab existentia corporum contingentium, ac materiæ contingentis inferri non potest existentia Dei, nisi certitudine *physica*, cum existentia corporum, & materiæ nonnisi certitudine physica innotescere possit. At ab existentia animæ nostræ contingentis *metaphysica* certitudine constat

Deum existere, cum metaphisica certitudine nobis constet propria existentia. Hoc argumentum clare, ac eleganter exponit cl. P. Soaves in Theologia naturali pag. 367., unde ejus verbis illud referemus.

§. 32. „ Un essere esistente da se medesi-
„ mo, il quale con altro nome chiamasi *Ente*
„ *necessario*, dee certamente essere indepen-
„ dente da ogni altro e quanto alla sua esi-
„ stenza, e quanto al suo modo d'esistere,
„ vale a dire aver dee in se stesso e la ra-
„ gione di esistere, e quella di esistere in un
„ tal modo, senza che questo suo modo di
„ esistere gli possa venire da altri o cambia-
„ to o tolto per verun conto. Imperciocchè
„ non può egli esser costretto da altri a cam-
„ biare il suo modo di esistere, senza per-
„ dere la ragione, che ha in se medesimo
„ di esistere alla sua propria maniera: ragio-
„ ne, la quale, come si è detto innanzi, nè
„ egli può perdere, nè può levarglisi da ve-
„ run altro, se procede da virtù sua propria,
„ ed è unita intimamente alla sua propria
„ esistenza.

„ Or ciò basta a mostrare evidentemente,
„ che quell'Essere, che in noi pensa, non
„ esiste certamente da se medesimo. Imper-
„ ciocchè a quante mutazioni noi siamo con-
„ tinuamente soggetti, e quante sensazioni
„ siamo costretti a soffrire, le quali non so-
„ lamente siam conscii di non averci dato
„ da noi medesimi, ma che vorremo anzi
„ toglierci, e non possiamo, chi è, che nol
„ senta per continua esperienza? Mentre io
„ sto intertenendomi con un Amico in pia-
„ cevoli ragionamenti, un mi sopraggiunge
„ improvisamente alle spalle, e mi percuo-
„ te, o mi ferisce: come poss'io dubitare,

„ che il dolore, che ne sento, non mi pro„ venga da una causa esteriore, e da me di„ versa?

„ Nè vale il dire, che della persona, che „ mi ha percosso, io ho la sola certezza fisica. „ Perocchè questo io concederò volentieri; „ ma io sono metafisicamente certo, che que„ sta sensazione dolorosa non mi son dato da „ me medesimo; sono pur certo metafisica„ mente, che ella non ha alcuna connessio„ ne colle sensazioni mie precedenti, sicchè „ possa dirsi, che sia da esse dipenduta; ho „ dunque una piena, e assoluta certezza, „ ch' ella non viene da me medesimo, ma „ da una causa da me diversa. Ora se io esi„ stessi per mia propria virtù, e se la mia „ maniera di esistere non dipendesse che da „ me solo, come potrebbe egli avvenire, „ che altri improvisamente mi spogliasse dell' „ esistenza piacevole, in cui mi trovava, e un' „ altra totalmente contraria a mio dispetto „ venisse a sostituirne?

„ Ma non è questo il solo caso, in cui la „ nostra dipendenza dagli altri esseri sia ma„ nifesta: ella si fa palese in tutte le nostre „ sensazioni. Perocchè niuna sensazione pos„ siam noi darci da noi medesimi senza il „ concorso di cause esterne, e niuna possia„ mo toglierne od impedirne, allorchè le „ cause esterne agiscono realmente su noi. „ Nella facoltà di sentire, come si è detto „ più volte, noi siamo puramente passivi: „ tutta la nostra attività si riduce all' accor„ gerci delle impressioni, che riceviamo, sen„ za potercele nè dar, nè togliere per noi „ stessi. Or dipendendo continuamente tut„ te le nostre maniere d'esistere dalle cause „ esteriori, come può egli dirsi, che o l'e-

„ ſiſtenza, e la maniera d'eſiſtere in noi dipenda da noi medeſimi?

„ Ma v'ha di più. Se l'Eſſere che in noi „ penſa eſiſteſſe da ſe medeſimo, almeno „ circa alla facoltà ſua propria, eſſenziale, „ e diſtintiva, che è il penſiero, ei dove„ rebbe certamente eſſere independente da „ ogn'altro. Ma ne men queſto noi poſſiam „ dire; anzi al contrario ogni ragione ab„ biam d'affermare, che ſenza il concorſo „ di cauſe eſterne egli non penſerebbe giam„ mai. Imperciocchè egli è certo che l'a„ nima non può penſar ſenza idee (pren„ dendo or queſto termine nel ſenſo gene„ raliſſimo di tutto ciò, che può eſſere og„ getto de'noſtri penſieri), e che l'idee tut„ te ci vengono in prima origine dalle ſen„ ſazioni. Un cieco nato niuna idea può mai „ aver de'colori, niuna de'ſuoni un ſordo, „ e chi foſſe privo pur anco dell'odorato, „ del guſto, del tatto, chi avuto mai non „ aveſſe veruna ſenſazione, non averebbe „ pure nè meno veruna idea. Or come mai „ potrebbe egli penſare?

„ Nè può già dirſi, che egli potrebbe aver „ forſe una qualche ſpecie d'idee che noi „ non ſappiamo. Imperciocchè mettiamo or „ noi medeſimi nel caſo ſuo, oſſia traſpor„ tiamoci a quel momento, in cui l'anima „ noſtra non aveva peranche avuto veruna „ ſenſazione. Se ella eſiſteva per ſe medeſi„ ma, ſe aveva allora qualche idea, non po„ tea certamente averla che per virtù ſua „ propria, e per propria natura. Come adun„ que non aveva ricevuto ſiffatte idee da ve„ run eſſere, così da niuno potevano eſſer„ le tolte. Ella dovrebbe adunque averle „ tuttora. Ma ſappiamo noi d'aver di que-

,, ste idee di nuovo genere? sappiamo noi ,, di averle avute mai? E se l'avessimo, e ,, per propria nostra virtù, per nostra propria natura, non averemmo noi a saperlo? E non sapendolo, non è egli dunque ,, certissimo che non l'abbiamo? Io non saprei qual cosa a ciò potesse mai replicarsi.

,, Ma io vo più innanzi, e domando: se ,, l'anima nostra avesse così durato per tutta ,, l'eternità senza veruna idea, averebbe ella ,, mai potuto chiamarsi un esser pensante? ,, Niun certamente dirà di sì; perciocchè un ,, esser pensante, e pensante da se medesimo, ,, ma che da se medesimo non ha idea nessuna, che da se medesimo per conseguenza ,, non può mai pensare, è una manifesta contradizione.

,, Nè vale il dire ch'egli sarebbe tuttavolta un Esser pensante, perchè averebbe ,, in se la facoltà di pensare, tosto che l'idee gli si presentassero. Imperciocchè tutto questo va bene, finchè si suppuone che ,, l'anima abbia avuto origine altronde. Non ,, v'ha allor niuna difficoltà a concepire ch' ,, ella abbia la facoltà di pensare, benchè ,, non abbia peranche pensato mai, e non ,, possa pensare senza che vi preceda l'azione di qualche causa esteriore, che le ,, ecciti delle sensazioni. Ella è un Esser pensante, che dal suo Autore ha avuto la facoltà di pensare con questa condizione. ,, Ma un essere esistente da se medesimo, ,, che ha per se medesimo la facoltà di pensare, e nel tempo stesso per se medesimo ,, non può mai pensare, non è egli la più ,, sciocca contradizione del Mondo?

,, Se quest'Essere adunque esistesse per se ,, medesimo, egli sarebbe un Essere affatto ,, assurdo, e contradittorio. Dunque è im-

„ possibile, che esista per se medesimo. Dunque
„ egli deve necessariamente a qualche
„ altro l'origin sua.

„ Ciò premesso l'esistenza di Dio è poi
„ facilissima a dimostrarsi. Imperciocchè o
„ l'Autore della nostra esistenza esiste per
„ se medesimo, o ha ricevuta anch'egli l'e-
„ sistenza da altrui. Se esiste per se mede-
„ simo, egli è quello appunto, che chiamiam
„ Dio; se ha ricevuto l'esistenza da altri,
„ converrà finalmente arrivare ad un Essere
„ esistente da se medesimo, che a questi al-
„ tri, ed a noi abbia data la prima origine,
„ se non vogliamo ammettere una progres-
„ sione di cause e di effetti in infinito, la
„ quale abbiam già dimostrata impossibile,
„ per questo appunto, che tolta la prima
„ causa, tolto sarebbe il primo effetto, e
„ conseguentemente pur tutti gli altri. Esi-
„ ste adunque necessariamente nella natura
„ un primo Autore, una prima Causa della
„ nostra esistenza, e questo esiste necessaria-
„ mente per se medesimo „.

CAPUT IV.

De falsitate Spinozismi.

§. 33. Spinoza, ut jam §. 2. innuimus, statuit non existere in Universo nisi unam, ac individuam substantiam infinitis attributis præditam, quæ inter *extensio*, & *cogitatio* præcipue numeranda sint. Hinc omnia corpora, quæ in Mundo existunt, juxta Spinozam nihil aliud sunt, nisi modificationes hujus unicæ substantiæ, quatenus extensa est.

Omnes vero spiritus sunt illius modificationes, quatenus est cogitans; & hæc unica substantia cogitans simul & extensa, quæ actione æterna, necessaria, continua producit ac continet in se omnia Mundi corpora, omnes spiritus, ac uno verbo Universum, ipso philosophante, est Deus. Quamvis hujus systematis falsitas manifeste appareat ex jam allatis probationibus existentiæ Dei, cum ex iis aperte constet, Deum ab hac rerum universitate esse omnino distinctum, abs re tamen non erit, eam uberius ostendere 1°. ex consequentiis, quæ ex hoc systemate derivant; 2°. ex principiis, quibus innititur.

§. 34. Atque in primis, si Deus ab hac Mundi machina non distingueretur, esset felicissimus, ut ejus natura expostulat, & simul omnium miseriarum subjectum; esset sanctissimus, & simul omnium iniquitatum centrum; esset immutabilis, & simul omnium mutationum theatrum, esset unus, & simul in tot partes divisus, in quot divisa est, imo divisibilis extensio, quæ juxta Spinozam est ejus attributum essentiale; esset simplicissimus & simul tot partibus conflatus, quot hanc Mundi molem constituunt. Præterea in una, eademque substantia *extensio*, & *cogitatio* simul coexistere possent, ac proinde inter se non pugnarent *soliditas* & *cogitatio*, *divisibilitas* & *cogitatio*, *inertia* & *cogitatio*, ac falsum proinde foret, quod lib. 1. Psychologiæ cap. 2. §. 17. verum esse omnino demonstravimus. Mundus, ac omnes ejus partes, uti etiam ordo & motus earumdem necessitate absoluta existerent, ac proinde esset contradictio asserere, vel minimam mundi partem potuisse esse diversam ab ea, quæ nunc est; esset contradictio affirmare, numerum stellarum ac

planetarum potuisse esse diversum ab eo, qui nunc sit, vel eorum magnitudines, figuras, situs, motus aliter se habere potuisse; effet contradictio effingere, in hoc globo terraqueo numerum plantarum ac animantium potuisse esse majorem, aut minorem, vel concipere eorum magnitudines, figuras, situs diversimode, quam nunc sint. Sed, quod magis etiam intollerabile est, Deus semper ageret necessitate naturæ, nullæque causæ finales darentur, unde Deus non effecisset oculos ad videndum, dentes ad cibos terendos, Solem ad illustranda & calefacienda corpora &c.

§. 35. Hæ partim contradictoriæ, partim omnino absurdæ consequentiæ necessario profluunt ex hoc systemate, imo ex solis quatuor ejusdem propositionibus, quarum prima est: *Præter Deum nulla dari, neque concipi potest substantia* (1), altera: *Quidquid est, in Deo est, & nihil sine Deo esse, aut concipi potest* (2), tertia: *Res nullo alio modo, neque alio ordine a Deo produci potuerunt, quam productæ sunt* (3); quarta tandem: *Omnia, quæ hic indicare suscipio præjudicia, pendent ab hoc uno, quod scilicet communiter supponant homines, omnes res naturales, ut ipsos, propter finem agere, ipsum Deum omnia ad certum finem dirigere pro certo statuant* (4).

§. 36. Sed non melius Spinozismi falsitas patet, quam si tantisper considerentur prin-

---

(1) Ethic. Par. I. prop. 14.
(2) Prop. 15. ibid.
(3) Prop. 33. ibid.
(4) Appendix ad I. Par. pag. 34.

cipia, quibus innititur. Spinoza pro unico fundamento proprii systematis ponit obscurissimam, simulque ambiguam substantiæ definitionem. Is enim ita definit substantiam: *Per substantiam intelligo id quod in se est, & per se concipitur: hoc est id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat* (1). Verba: *in se est:* duplicem sensum habent. Vel enim significare possunt, *substantiam existere a se ipsa*, omnem prorsus excludendo causam, quæ illam produxerit, vel significare possunt, *substantiam existere per se ipsam*, hoc est non indigere subjecto, cui inhæreat, ut existat, ad differentiam modorum, qui concipi nequeunt, nisi concipiatur subjectum, cui inhæreant juxta Scholasticorum doctrinam. Pariter verba: *per se concipitur*: duplicem sensum habent, vel enim ita intelligi possunt, ut conceptus substantiæ excludat tantum relationem ad subjectum, cui inhærere debeat, vel etiam relationem ad causam, quæ illam produxerit. Hac posita ambigua definitione Spinoza reapse substantiæ nomine intelligit ens a se ipso existens & necessarium, quod omnem prorsus excludat relationem ad causam, quæ illud produxerit. Hoc non solum patet ex verbis, quæ adjungit: *hoc est id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat*: sed etiam ex consectariis, quæ ex tradita definitione deducit. Inquit enim *corol. prop. 6. Hinc sequitur substantiam ab alia produci non posse. Demonstratur hoc etiam facilius ex absurdo con-*

C 6

(1) Ethic. Par. 1. Definit. 3.

tradictorio. Nam si substantia ab alio posset produci, ejus cognitio a cognitione suæ causæ deberet pendere (per Axiom. 4.) *adeoque* (per Definit. 3.) *non esset substantia*. Postquam autem substantiæ nomine intellexit ens a se ipso existens & necessarium, infert, existere unam duntaxat in natura substantiam, cum unum revera tantum sit ens a se ipso existens, & necessarium, atque ita ad Panteismum pervenit.

§. 37. Quam autem ruinosum sit hoc Pantheismi fundamentum, omnes intelligunt. Si enim definitio substantiæ ab ambiguitate liberetur, ac negetur Spinozæ, ut negari debet, proprium esse substantiæ existere a semetipsa, ac excludere relationem ad causam, quæ illam produxerit, statim Pantheismus concidit, ac plures substantiæ in natura existere possunt, ut patet. Necessitas existendi, quam Spinoza adscribit substantiæ, demonstranda, nullatenus autem amphibologia verborum proponenda erat.

§. 38. At inquies: Spinoza reapse demonstravit, substantiam existere necessario. Post propositionem enim sextam statim in propositione septima ita loquitur: *Ad naturam substantiæ pertinet existere*. Demonstratio. *Substantia non potest produci ab alio* (per coroll. proposit. præced.); *erit itaque causa sui, idest* (per Definit. 1.) *ipsius essentia involvit necessario existentiam, sive ad ejus naturam pertinet existere* Q. E. D.

§. 39. Verum respondemus hanc demonstrationem esse *circulum vitiosum*, seu *petitionem principii*, ut loquuntur Dialectici. Nam quomodo Spinoza ostendit propositionem septimam, quod nempe ad naturam substantiæ pertineat existere? Quia, inquit, substantia

non potest produci ab alio per corollarium propositionis sextæ. At quomodo ostendit, substantiam non posse produci ab alio? Quia existit in se, nempe a se ipsa per definitionem (1). Igitur assumit ut probationem id,

---

(1) Ut nemo nobis succenseat, ac omnino ingenui simus, fatemur, Spinozam demonstrare corollarium *substantiam non posse produci ab alio* non solum ope definitionis substantiæ, sed etiam ope propositionis sextæ, quæ dicit: *Una substantia non potest produci ab alia substantia*. Verum hac etiam secunda probatione adhibita semper in *circulum vitiosum* cadit. Et revera quomodo demonstrat propositionem sextam? Ope propositionis secundæ. En ejus demonstratio. *In rerum natura non possunt dari duæ substantiæ ejusdem attributi* (per proposit. præced.) *hoc est* (per proposit. 2.) *quæ aliquid inter se commune habeant. Adeoque* (per proposit. 3.) *una alterius causa esse nequit, sive una ab alia non potest produci*. Q. E. D. At quomodo probat propositionem secundam? ope solius definitionis substantiæ, ex eo enim quod substantia a se existat, ac proinde excludat relationem ad quamcumque causam, infert, duas substantias diversa attributa habentes nihil inter se commune habere. En ejus verba: *Duæ substantiæ diversa attributa habentes nihil inter se commune habent*. Demonst. patet ex definit. 3. *Unaquæque enim in se debet esse, & per se debet concipi, sive conceptus unius conceptum alterius non involvit*. Igitur demonstratio propositionis septimæ: *Ad naturam substantiæ pertinet existere*: pendet a corollario propositionis sextæ, corollarium

quod est in quæstione, seu probat unam Thesim per eamdem Thesim, cum idem omnino sit dicere, quod *ad substantiam pertinet existere*, ac dicere, quod *substantia existit a se ipsa.* In manifestam igitur incidit petionem principii.

§. 40. Cæterum Spinoza in sua definitione substantiæ non solum malitiosum sensum adhibet, quod ipsa videlicet sit ens a se, & necessario existat, verum etiam cum Scholasticis in eo turpiter errat, ut statuat substantiam veluti *subjectum inhæsionis*. Substantiæ nomine intelligi nequit, nisi aggregatum omnium notarum & constantium, & mutabilium, quæ rem constituunt, ac *subjecta inhæsionis* intelligi nullo modo possunt, ut jam Psychologiæ §. 156. docuimus.

---

pendet ab eadem propositione sexta, propositio sexta a secunda, secunda a definitione substantiæ. Propositio igitur septima, etiam attenta secunda probatione, tandem demonstratur per definitionem substantiæ, quæ est: *substantia est id, quod est in se*, nempe ut jam vidimus, *quod a se subsistit*. Hæc igitur etiam secunda probatio est *circulus vitiosus*, seu *petitio principii*.

THEOLOGIÆ NATURALIS

LIBER II.

De præcipuis Dei attributis.

§. 41. Demonſtrata pro elementorum anguſtiis Dei exiſtentia, remanet, ut ejus naturam, quantum homini licet, inveſtigemur. Cum autem cujuslibet rei natura innoteſcat ex attributis, quæ illi conveniunt, de divinis attributis in hoc Libro ſermonem inſtituemus, ac proinde de Dei *unitate*, *æternitate*, *independentia*, *ſimplicitate*, *immutabilitate*, *immenſitate*, *omnipotentia*, *intellectu*, *libertate*, *bonitate*, *juſtitia*, *veracitate*, *providentia in ordine naturali cum phyſico*, *tum morali*, ac *providentia in ordine morali ſupernaturali* per totidem capita diſſeremus. Sit igitur.

CAPUT I.

De Dei unitate.

§. 42. Deum eſſe unum ex eo evincit Samuel Clarkius *propoſ.* VII. *de exiſtentia Dei*, quod duo entia independentia, & abſolute neceſſaria pugnant inter ſe. Et

quidem si sunt independentia poni unum sine altero poterit. Ergo quod non ponitur non erit necessarium. Sed ambo esse necessaria debent. Ergo neutrum supponi independens potest, quod est absurdum. Sed hac etiam alia ratione demonstrari potest: Si fingatur, duos existere Deos, vel unus pendebit ab altero, vel non. Primum Dei ideam destruit, neque enim Deus dici potest, qui dependentiam habet. Altero autem admisso, aut unus tantum mundum creavit, & tunc alter otiosus erit, nullumque proinde aderit argumentum pro ejus existentia evincenda, aut ambo mundum crearunt, & tunc vel concordes vel discordes in creatione mundi sint, id numquam præstare poterunt, absque eo quod unus in alterum agat, unus ab altero pendeat, nempe absque eo quod uterque Dei naturam amittat. Unus igitur tantum Deus sit oportet. Errarunt itaque Manichæi, qui duo principia, sive duos statuerunt Deos, quorum unus esset bonus, & causa bonorum, quæ hominibus contingunt, alter vero malus, causaque malorum quæ homines affligunt.

§. 43. Neque Dei unitatem labefactat ratiocinatio, quam Epicurus habet apud Lactantium *de ira Dei cap.* 13., quamque pro Manichæismo affert Baylius *Dict. Crit. Art. Manicheens Rem. D.*, nempe, *Deus aut vult tollere mala, & non potest, aut potest, & non vult, aut neque vult, neque potest, aut vult & potest. Si vult & non potest, imbecillis est, quod in Deum non cadit: si potest & non vult, invidus, quod æque alienum a Deo: si neque vult, neque potest, & invidus & imbecillis, ideoque neque Deus: si vult, & potest, quod solum Deo*

convenit, unde ergo sunt mala, aut cur illa non tollit? Etenim facile demonstratur, nulla Mundi mala, quæ ad tres classes referuntur, nempe ad mala *metaphysica*, *physica*, & *moralia*, evincere, quod existat Deus malus hominum inimicus.

§. 44. Et revera mala *metaphysica* sita sunt in deficientia a summa perfectione, ideoque rem limitant, ab eaque majorem bonitatem excludunt. Ita dicitur hominis intellectus v. g. malo mataphysico laborare, quia finitus est, ac limitibus coercetur. Patet autem creaturas, cum sint entia dependentia & contingentia, summæ perfectionis capaces non esse, ac proinde limites, qui habentur in earum perfectionibus, ab illarum essentia necessario dimanare. Mala itaque metaphysica potius mala videntur esse, quam revera sint, cum eorum origo in ipsa creaturarum essentia sit, neque per divinam omnipotentiam tolli possint. Neque enim Deus rerum essentias immutare potest. Ex malis igitur metaphysicis non evincitur existere Deum hominibus adversum.

§. 45. Mala *physica* dicuntur vel omnes imperfectiones, ac deformitates, quæ in hac Mundi machina videntur esse, vel sæpius dolores, infirmitates, & infortunia, quibus animantia subiiciuntur. Ita quoad hominem dicitur malum physicum v. g. ventus vehemens arbores prosternens, & tecta ædium disjiciens, grando damnum inferens segeti, febris, aliique hujusmodi effectus naturales, ex quibus dolor enascitur. Sed quoad imperfectiones, & deformitates, quæ in hac Mundi machina videntur esse, dicimus eas esse *apparentes*, & non *reales*, ac ideo Epicureos præsertim in has imperfectiones, ac deformitates

invectos fuisse (1), quia ignorabant sapientissimos fines, præclarosque usus, quos plures hujus universitatis partes habent, si non seorsim, sed quoad reliquas considerentur. Et revera quo magis Physica exculta fuit, eo plures fines, pluresque usus antea penitus ignoti detecti sunt, ac proinde plura, quæ ante imperfecta, ac deformia putabantur esse, omnibus numeris absoluta deprehensa sunt. Quot usus non adinvenit Malphighius in ea, quam dedit, *anatomia plantarum*, Berellius in suo opere *de motu animalium*, Arveus in illa, quam detexit, *sanguinis circulatione?* quot partes post horum Auctorum inventa, non imperfectæ & deformes, ut antea, sed infinita sapientia fabrefactæ agnitæ sunt? Boylius, Voodward, Derhamus, Newtonus, aliique plures in Astronomia, & in Physica celeberrimi, globi terraquei analysim, fere dixerim, instituerunt, ac Telluris superficiem, strata, canales subterraneos, cavernas, montes, valles, climata perlustrarunt. Post hujusmodi examen in qualibet parte infinitam sapientiam splendescere testati sunt, non solum quoad singularum partium productionem, sed etiam quoad utilitatem, quæ ex singulis in singulas manat, & quoad perfectionem, pulchritudinemque, quas omnes simul conjunctæ afferunt Universo. Redius, Jonstonus, Lesserus, Turnefortius, Valisnie-

---

(1) Hæc mala physica contemplando Lucretius cecinit ver. 199.

Nequaquam nobis divinitus esse paratam
Naturam rerum: tanta stat prædita culpa.

rius, ut mille alios prætercam, quot usus non indicarunt quoad plures plantarum, ac omnium animantium partes? Merito igitur inductionis ope concludi potest, si quæ adhuc in Universo partes imperfectæ, ac deformes videantur esse, tales reapse non esse, ac proinde ex hisce malis physicis non evinci existere Deum animantium inimicum. Quod etiam dicendum de malis physicis alterius generis. Si enim de brutis animantibus sermonem instituamus, nemo unquam demonstrare poterit, verum non esse Theologorum axioma: *Sub Deo justo nemo miser*, nempe in iis dolores voluptatibus non compensari, sin minus quoad *numerum*, saltem quoad *intensitatem*. Sin vero de hominibus agamus, tantum abest, ut hæc mala physica Deum hominibus adversum evincant, quin potius sint divini amoris, & beneficentiæ in homines luculentissimum argumentum. Hisce enim malis physicis revocantur homines a nimio præsentis vitæ, ejusque bonorum amore, quo amore fit, ut æterna bona contemnant, atque legem violent, ideoque hisce malis aut præparantur ad virtutem, ut non peccent, aut juste puniuntur, quia peccarunt, ut a peccatis recedant, & ad æternam felicitatem consequendam perveniant, quod quidem infiniti amoris, & beneficientiæ argumentum est.

Sed ut clarius etiam elucescat, hæc mala Dei bonitati non adversari, abs re non erit hic afferre ratiocinationem, quam adhibet cl. Abbas Grandi in Opere: *Cours abregé de Religion* T. II., ubi de divina providentia sermonem instituit. „ E' più che certo (*ita „ hanc ratiocinationem referunt Acta Pisana T. „* 42. *Art VIII. pag.* 237.) che ad onta di „ tutti i mali, che anime ingrate, ed uomi-

,, d'un umor tristo, e malinconico si son
,, tanto compiaciuti di esaggerare, v'ha de'
,, beni nella vita, che la vita stessa, e l'esi-
,, stenza n'è uno. Or basta questo per sal-
,, var la bontà di Dio, per chiuder la boc-
,, ca ai detrattori della providenza. Non ab-
,, biamo da lui questi beni? Noi siam dun-
,, que forzati a riconoscere in lui della bon-
,, tà Se essi non escludono tutti i mali, ciò
,, nasce unicamente dal non averci fatti be-
,, ni maggiori, dall'esser quei che ci ha fatti
,, finiti e limitati. Ma dove si troverà mai,
,, che un bene cessi d'essere un bene, per-
,, ch'egli non è più grande, o che la bontà
,, di Dio sia in obbligo di farci tutti i beni
,, possibili?

,, Se un uomo per esser buono in tutta
,, l'estensione di questo termine, deve fare
,, agli altri tutto il bene, ch' ei può, senza
,, di che gli si potrebbe attribuire dell' in-
,, differenza, o della malizia, non è certa-
,, mente così di Dio. Tutto il bene che un
,, uomo può fare all'altro è limitato; quel-
,, lo che Dio potrebbe fare a noi, non ha
,, limiti, e può crescere all' infinito: non ce
,, lo può dunque fare appunto, perch'egli
,, è Onnipotente. Così per quanto grande
,, fosse quel bene, che si pretende ch' ei ci a-
,, vrebbe dovuto fare, ve ne sarebbe sem-
,, pre un maggiore, la mancanza del quale
,, sarebbe un male, e l' uomo empio o in-
,, grato troverebbe sempre di che lagnarsi
,, della Providenza, e di bestemmiarla. Si
,, tenga adunque forte questa risposta: il male
,, non viene se non dal non averci fatto Dio
,, un ben maggiore. Ma dedurne, che Dio
,, non è buono per non averci fatto un mag-
,, gior bene, è dedurne una conseguenza, la

„ cui falsità è visibile a colpo d'occhio. Bi„ sognerebbe prima provare, che Dio deve „ farci tutto il bene possibile; cosa che gl'in„ creduli non proveranno giammai, perchè „ ciò implica contradizione.

„ Che se alcuno volesse assolutamente esi„ gere dalla bontà di Dio, ch'ella avesse tro„ vato più compensi a questo difetto di un „ ben maggiore di quello, che ci ha accor„ dato, il N. A. non si arresterà a doman„ dargli con qual dritto; gli replicherà so„ lamente, che gli ha trovati, ma che non „ tocca a noi a determinarne il genere secon„ do i nostri desiderj, le nostre passioni, i „ nostri capricci. Il compenso, che la bontà „ di Dio unitamente alla sua sapienza ha „ trovato ai mali, a'quali siamo soggetti, „ consiste ne'mezzi che ci presenta di difen„ dercene coll'industria, e colla ragione, nei „ rimedj che ci ha fornito, nelle consolazio„ ni, che ci accorda. Se non ne facciamo „ uso, è colpa nostra. Di quanti mali non „ siamo debitori che a noi medesimi? La „ bontà di Dio dovea ella accomodarsi non „ solo a'nostri bisogni, ma ancora alle no„ stre passioni, ai vizj stessi? Ella ha trova„ to sopra tutto un compenso nella saviezza „ e nella virtù che si raffina e si perfezio„ na, che non spiega giammai meglio tutta „ la sua forza che nelle disgrazie. Si schiu„ de in esse, e prende vigore il coraggio, „ l'amor del vero, del giusto, dell'onesto, „ e questo solido e real vantaggio è ben da „ preferirsi di gran lunga alla liberazione di „ tutti i mali. „

§. 46. Tandem mala *moralia* sunt legis transgressiones, seu peccata, quæ ex humanæ libertatis abusu proficiscuntur, tantum abest,

ut in Deum aliquem cadant, qui hominibus adversetur. Neque hæc mala cum Dei bonitate pugnant. Quid enim? legem dare non debuit? At id ejus providentiæ contrarium est. An libertatem hominibus debuit auferre? Sed subitulisset etiam naturam, ut præclare ratiocinatur S. Basilius (1), quod sapientiæ divinæ regulis contradicit. An tandem nullas creaturas rationales creare debuit? Sed ita nulli suam bonitatem communicasset, nec proinde bonus, ac beneficus fuisset. Neque dicas ad Dei bonitatem spectasse talia hominibus auxilia præbere, ut possent quidem, sed tamen numquam in peccatum laberentur, unde & meritum apud Deum libertate sibi compararent, & mala moralia reapse in Mundo non essent. Etenim quamvis potuisset Deus singulis hominibus talia auxilia suppeditare, ut possent quidem, sed tamen numquam peccarent (in quo certe Providentiæ ordine & humanæ salutis securitas, & nulla mala moralia haberentur), non ideo læditur tamen ejus bonitas, quod id non fecerit. Deus enim uti non poterat propria potentia, & bonitate, nisi dependenter ab aliis divinis attributis, ac præcipue ab ejus sapientia infinita, quæ dirigit, temperatque effectus omnium divinarum perfectionum. Sapientia Dei rectissimis, sanctissimisque rationibus ex-

---

(1) S. Basilius *Tom. 1. pag.* 124. inquit: *Quisquis conditorem reprehendit, quod non naturaliter peccati nos expertes creaverit, nihil aliud, nisi rationis expertem naturam rationali præfert, & immobilem, atque impulsu, & appetitione carentem ei, quæ electione, & actione prædita est.*

postulavit, ut ad præsentem providentiæ ordinem, in quo malum morale permittitur, ejus potentia, ac bonitas coercerentur. Fatemur quidem nos, qui totius Mundi systema, ac omnes ejus relationes non intuemur, ignorare prorsus has rectissimas, sanctissimasque rationes, sed tamen de illis dubitare non possumus, cum aliunde infinita argumenta nobis præsto sint, quæ evidenter ostendunt, Deum esse ens perfectissimum, ac ejus sapientiam decipi non posse. Id unum scimus, malis moralibus, quæ ab hominibus fiunt, Deum in bonum finem uti, ut ostendit parabola de *zizaniis*, quæ habetur Math. 13. *v.* 24., & Divus Augustinus tum *in Enchiridio cap.* 11. tum in libris *de ordine*; ex quo magis etiam atque magis divina bonitas elucescit. Cæterum scelesti illi homines, qui Dei providentiam negant, ita argumentantur: *Ignoramus rationes, quibus sapientia Dei hunc providentiæ ordinem elegerit. Ergo hæ rationes non habentur. Ergo Deus non est optimus provisor*. Hæc argumentandi ratio similis est huic: *Ignoramus quænam sint corporum elementa, an extensa sint, aut simplicia. Ergo hæc elementa non existunt. Ergo non existunt corpora*. Potest ne major dialecticæ ignoratio excogitari?

Vel spectentur igitur mala metaphysica, vel physica, vel moralia, nullo modo evinci potest, aut duos Deos existere, ut Manichæi contendunt, aut Deum rebus omnibus non providere. Hinc quoad ratiocinationem quam habet Epicurus apud Lactantium, quamque §. 43. retulimus, patet Deum neque dicendum esse *imbecillem*, cum mala omnia *physica*, & *moralia* tollere potuisset, neque dicendum esse *invidum*, quia hæc mala non sustulerit, cum justitia ac bonitas Dei

necessario mala physica expostulaverint; infinita vero Dei sapientia præsentem providentiæ ordinem, in quo malum morale permittitur, efflagitaverit. Epicurei potius imbecilles dicendi sunt, qui falsam Dei ideam habent, ac blasphemant, quæ non intelligunt. Ipsi merito invidi appellandi, cum vitium, quod in naturam tantum humanam cadere potest, ad necessariam, perfectissimamqne Naturam transferant.

CAPUT II.

De Dei æternitate.

§. 47. Deo æternitatem convenire ex notione entis necessarii, & perfectissimi facile demonstratur. Et quidem 1°. cum Deus sit ens necessarium, neque initium habere potuit, neque finem est habiturus. Sed quod nullum initium habuit, neque finem est habiturum, est æternum. Ergo Deus est æternus. 2°. Cum Deus sit ens perfectissimum, nullum ens ipso præstantius excogitari potest. Sed posset excogitari ens ipso præstantius, nisi foret æternus, cum melius sit, semper fuisse, quam initium existendi habere. Ergo Deus est æternus.

§. 48. Hæc autem Dei æternitas non instar temporis concipienda est, quasi *præteritum*, ac *futurum* admittat. Quemadmodum enim tempus est entium successio, cum ex nostrarum sensationum successione oriatur (Psycol. §. 202.), ita æternitas est *entis perseverantia*. Hæc perseverantia est quid simplex ac indivisibile, ac proinde *præteritum*, ac *futurum*

rum non admittit. Hinc termini *ante, post, jam* improprii prorsus sunt relate ad Deum, ac dum inquirimus, quodnam fuerit æternitatis instans, in quo Deus Mundum creaverit, absurdam inquisitionem instituimus, cum ea supponat, æternitatem partibus conflari, quæ tamen tempori tantum conveniunt. Cum itaque considerando Deum relate ad creaturas, in ipso distinguimus *præteritum*, ac *futurum*, totum hoc tempus pertinet tantum ad creaturas, quæ fluunt, non ad Deum. De Deo enim proprie loquendo dici nequit, quod *fuerit*, aut *erit*, sed dici tantum debet, quod *est*.

§. 49. Quam quidem doctrinam docuerunt etiam & Boethius, dum elegantissime definivit æternitatem: *Incommutabilis vitæ totam simul, ac perfectam possessionem*, & Plato in Timeo, dum dixit: erat, est, erit *partes sunt temporis, & male illas transferimus ad æternam naturam; huic* est *tantum convenit;* erat *vero &* erit *pertinent solummodo ad res in tempore fluentes; sunt enim motiones. Illa semper immutabilis natura nec senior, nec junior ullo modo esse potest.*

§. 50. Neque valet opponere, æternitatem, cui nulla temporis successio respondeat, neque comprehendi, neque affirmari posse. Etenim ultro concedimus comprehendi non posse, negamus vero non posse affirmari. Ideo comprehendi nequit, quia æternitatis de-[illegible] nullum in creatis rebus exemplar reperitur, quia omnes creatæ res fluunt, ac dilabuntur, ideoque tempori sunt alligatæ. Sed hæc ipsa incomprehensibilitatis ratio facit, ut statuta æternitas dignum Dei attributum esse dicatur. Cum enim Deus nullam cum creatis entibus quoad sui essentiam cognationem habeat, neque durare duratione

propria cæterorum entium poteſt. Falſum autem omnino eſt, hanc æternitatem non poſſe affirmari, quia non comprehenditur, cum in univerſa Philoſophia plura ſtatuantur, quæ tamen comprehendi nequeunt. Ita Metaphyſici ſtatuunt, animam agere in corpus, & viciſſim corpus in animam; motus objectorum externorum communicari organis ſenſoriis, ex iiſque motibus excitari in anima ideas; omnia memoriæ ac imaginationis phænomena ex cerebro pendere, quæ quidem omnia comprehendi nequeunt. Ita Phyſici affirmant, dari in corporibus elementa, vires, motus, motuumque communicationem; ferrum attrahi a magnete, ac ſexcenta hujuſmodi, quamvis incomprehenſibilia ſint, ac explicari nequeant. Ex eo igitur quod Dei æternitas non comprehendatur, inferri nequit, non poſſe affirmari, præſertim, cum hic de divino attributo agatur, quod non eſſet amplius divinum, ſi mente humana comprehendi poſſet.

CAPUT III.

De Dei independentia.

§. 51. Cum Deus ſit ens neceſſarium, nempe a ſe ipſo exiſtat, habet in ſe rationes ſufficientes rerum omnium. Ipſe igitur ſibi ſufficiens eſt, ac nulla re, quæ ſit extra ipſum, opus habet. Hoc autem quid eſt, niſi perfecta independentia? Quæ quidem Dei independentia eluceſcit etiam ex notione entis perfectiſſimi. Ens enim perfectiſſimum neque exiſtere, neque operari de-

pendenter ab alio poteft, cum dependentia ab alio vel quoad exiftentiam, vel quoad operationes imperfectionem & egeftatem femper repræfentet.

§. 52. Auctor *naturæ fyftematis* contra hoc Dei attributum opponit apud Chriftophorum Sarti *Theol. Natur. Lib. II. Parte tertia cap. 2.*, in confeffo effe apud omnes, Deum pendere a fua effentia, fuifque attributis, pendere a rerum naturis, & proprietatibus, pendere tandem a finibus rerum conftitutarum, ideoque dici non poffe independentem. Sed turpiter fuo more hallucinatur. Etenim dum Deus pendet a fua effentia, fuifque attributis, dum pendet a rerum effentiis, & proprietatibus, dum pendet a finibus, quos fapientiffime fibi in rebus conftituendis præfcripfit, a fe ipfo tantum pendet, non ab alio, ideoque veram fervat independentiam. Et revera Dei effentia, & attributa a Deo ipfo minime diftinguuntur. Rerum effentiæ, & proprietates, antequam res exiftant, funt tantum ideæ archetypæ divini intellectus (Pfychol. §. 145.), quæ proinde a Deo non diftinguuntur. Tandem fines rerum conftitutarum in ipfo Deo funt, ut patet. Dum igitur Deus ab his omnibus pendet, a fe ipfo tantum pendet, veramque independentiæ imaginem exhibet.

CAPUT IV.

De Dei simplicitate.

§. 53. Illud *simplex* dicitur, quod partibus caret, nempe ab omni corporea fæce segregatum est. Dei simplicitatem sustulerunt Gentiles; Deos enim, quos colebant, corporeos esse putabant. Illam sustulerunt etiam *Anthropomorphitæ*, sic dicti, quod Deo formam corpusque hominis affingerent. Tales fuerunt IV. sæculo multi ex rudioribus Ægypti Monachis, qui verba sacræ Scripturæ, quæ Deo vultum, oculos, manusque tribuunt, ad literam accipiebant.

§. 54. Sed Deum ab omni corporea fæce esse segregatum, nempe esse omnino simplicem constat 1°. ex eo quod sit ens necessarium; nullum enim ens compositum necessarium dici potest, cum nulla sit repugnantia, ut partes, quibus ens compositum constat, vel a se invicem separentur, vel post quam separatæ fuerint, rursus uniantur, ut patet. Omne igitur ens compositum & existendi initium, ac finem habere, nempe nunquam necessarium dici potest. 2°. ex eo quod Deus sit ens perfectissimum, cum ens compositum semper a partibus componentibus pendeat, ideoque imperfectionem & egestatem semper repræsentet. 3°. ex eo quod Deus sit summe intelligens, ut deinceps demonstrabimus. Nullum corpus licet tenuissimum cogitationis est capax, cum pugnent *cogitatio* & *soliditas*, *cogitatio* & *divisibilitas*, *ce-*

gitatio & *inertia*, ut jam Pſychol. Lib. 1. cap. 2. §. 17. explicavimus.

§. 55. Cum igitur in ſacris Scripturis proprietates corporum Deo tribuuntur, hæ locutiones ad literam, proprioque ſenſu non ſunt accipiendæ, ſed metaphorice. Cum enim Deus ſit ſpiritus, pauci vero ſint homines, qui res ab omni materia ſecretas percipere valeant, ſacra Scriptura, ut mentis humanæ imbecillitati ſe accommodet, divinas perfectiones ſub variis corporis imaginibus exhibet. Sic v. g. per magnitudinem Dei *immenſitas*, per oculos Dei *ſcientia*, per manus & brachia Dei *omnipotentia* deſignantur.

§. 56. Sed inquirunt Divinitatis hoſtes: Quomodo Deus ens ſimplex creare potuit ens compoſitum, materiam nempe? Quomodo Deus ens ſimplex omnium rerum motor eſt (1)? Quomodo Deus ens ſimplex per ſuam immenſitatem ubique adeſt? nonne iſta pugnant inter ſe?

Reſpondemus ad primum, nullam haberi repugnantiam, quod ens ſimplex infinita virtute præditum creaverit ens compoſitum. Nam creatio a generatione differt; creatio non requirit partes in creante, extenſionem, & motum, ſed infinitam tantum poteſtatem, perfectionem ſummam, unde poſſit ſufficiens ratio creati effectus intelligi, explicarique (§. 30.). Neque *diviſibilitas*, *figura*, aliæque hujuſmodi entis compoſiti qualitates dici poſ-

(1) Qu'eſt-ce qu'un pur eſprit qui crée & qui meut la matiere? *Auctor naturæ ſyſtematis* Part. II. pag. 120.

sunt *perfectiones*, quæ proinde in causa creante requirantur, ut illas effectui communicare possit. Etenim ut jam Psychol. §. 21. cum Clarckio observavimus, hæ dici debent qualitates *negativa*, & imperfectiones. Nulla autem in hoc pugna est, ut effectus habeat imperfectiones, defectus, ac qualitates negativas, quæ in ejus causa non sunt.

Deum ens simplex rerum omnium esse posse motorem, suadent naturæ *vires*, quæ etsi simplices, movent corpora; suadent animæ humanæ, quæ licet substantiæ simplices sint, in corpora agunt. Sed quid opus est, hæc afferre exempla? Motus non est essentialis materiæ (§. 16.) Ergo extra materiam existat necesse est substantia incorporea, quæ motum materiæ impresserit. Sed hæc substantia incorporea, quæ motum materiæ impressit, est Deus. Ergo non solum non repugnat, Deum rerum omnium esse motorem, sed necessario debet esse rerum omnium motor. Dum autem movet corpora, non illa movet contactu partium, quibus caret, sed propria omnipotentia.

Deum ens simplex per propriam immensitatem ubique adesse non pugnat, si ex una parte Deum infinito intellectu, ac omnipotentia præditum nobis repræsentemus, ex alterà vero Dei immensitatem in hoc sitam esse dicamus, ut Deus videat, conservet omnia creata entia, ac in omnia creata entia agat. Quænam enim apparet in hoc repugnantia quod ens simplex sed infinito intellectu, ac omnipotentia præditum videat, conservet omnia entia, quæ creavit, ac in omnia agat? Eadem enim ratione, qua illa vidit, conservavit, ac in omnia egit, dum ea ex nihilo eduxit, poterit semper in eadem

visione, conservatione, ac actione perseverare.

CAPUT V.

De Dei immutabilitate.

§. 57. Id mutari dicitur, quod aliter se habet, ac antea habebat, aut quod status vicissitudinem patitur. Immutabilitas ergo est stabilis in eodem statu permansio. Hinc Deo convenire plura ostendunt argumenta. Nam 1°. Deus est ens necessarium. Ergo omnia, quæ in Deo sunt, existendi necessitatem habent. 2°. Deus si mutaretur, aut in melius, aut in deterius mutaretur. Non primum; defuisset enim ei, quod post mutationem consequitur. Non alterum, nam perfectione, quam habebat, careret. 3°. Quænam causa mutare Deum potest? Res creata? Minime quidem; quod enim mutatur, eo, quod mutat, imbecillius est; nihil autem Deo valentius. Ipse Deus? Sed neque se deteriorem, cum nemo se ipsum odio habeat, neque meliorem, cum nulla perfectio ei desit, efficere potest. Nulla igitur causa Deum immutare potest, ac proinde Deus est immutabilis.

§. 58. Nulla itaque sunt in Deo actu *mutabilia*, quæ scilicet actu mutentur. Omnia, quæ illi insunt, instar attributi insunt, quamvis ad modos pertinere videantur. Hoc tantum inter ea, quæ Deo insunt, discrimen esse potest, ut alia sint immutabilia, quia sunt Deo *absolute* necessaria, ut v. g. essentia, & attributa; alia vero sint immutabilia, quia

hypothetice tantum Deo necessaria sint, ut v. g. decretum de Mundo condendo, cæteraque decreta, quæ Deus sua perfectissima libertate fecit; hæc enim immutabiliter Deo insunt, non quia illi fuerint absolute necessaria, tunc enim non fuissent libera, sed quia illi sunt hypothetice necessaria, nempe facta hypothesi divinæ determinationis pro hujusmodi decretis.

§. 59 Auctor naturæ systematis opponit novas subinde, ac novas in hac rerum universitate fieri mutationes, creationes, destructiones, quarum prima, & universalis causa nobis est Deus, & supremum ejus consilium, virtus, & providentia; ideoque mutare Deum circa res creatas consilium, & providentiam, neque proinde dici posse immutabilem (1). Sed ab iis, quæ in rebus fiunt, mutationibus perperam argumentatur, mutari etiam consilia supremæ causæ harum mutationum, ideoque falso concludit, Deum esse mutabilem. Quid enim difficultatis in hoc est, quod Deus certum quoddam rerum vicissitudinum, seu mutationum systema, atque feriem possibilem ab æterno viderit, æternoque atque immutabili consilio probaverit, statuerit, & secundum immutabilem illam æternamque temporalium mutationum voluntatem omnes, quæ in Mundo fiunt, mutationes peragantur? Similes in humanarum actionum systematibus ex eadam constanti hominis voluntate

---

(1) Qu'est-ce, qui un être immuable qui est la cause des mouvemens, & des changemens, qui s'operent a chaque instant dans la nature? Part. II. pag. 120.

mutationes fieri passim animadvertimus, adeo ut verum sit, plurimas sæpissime fieri in rebus humanis mutationes, quia ex constanti, atque immutabili ejusdem hominis voluntate ad quemdam semper scopum tendentis profluunt. Nullius igitur ponderis est hæc difficultas.

§ 60. Atque ex his colliges, non odium, non iram, neque cæteros hujusmodi affectus in Deum cadere posse; colliges non solum vehementiores cupiditatum motus, qui rationi contrarii sunt, ac inimici, sed neque tranquillos, placidos, quietosque in Deo reperiri; nam is, cui novi suboriuntur affectus, ut ut pacati, sedatique sint, mutatur. Ira ergo Dei est pœna scelesto irrogata, odium est gratiarum ejus subductio. Cum autem dicitur, Deum consilium immutare, tota mutatio in res, quæ diverse ac antea se habent, tantum cadit.

CAPUT VI.

De Dei immensitate.

§ 61. Cl. Abbas Grandi *Cours abregé de Religion* Tom. 2. in hoc situm esse Dei immensitatem statuit, ut Deus videat, conservet omnia creata entia, ac in omnia creata entia agat, & operetur. En ejus verba, prout illa referunt Acta Pisana Tom. 42. pag. 212. „ Cosa è mai l'immensità di Dio „ per tacer ora degli altri attributi, che ha „ dato occasione a tante inezie, a tanti in„ suiti e delirj, degli Increduli? Se lo spa„ zio, dic' egli, altro non è realmente, che

„ l'estenzione de'corpi, come risulta dalle
„ stesse stravaganze in contrario su questa
„ materia, se lo spazio distinto da questa e-
„ stenzione altro non è, che un ente di ra-
„ gione, cioè questa estension medesima con-
„ siderata in astratto, quando si dice, che
„ Dio è immenso altro non si vuole inten-
„ dere, se non che ei vede, ch'ei conser-
„ va tutti i corpi, ch'opera sopra tutti. Do-
„ mandare dove egli era avanti che il mon-
„ do fosse, s'egli è al di fuori di quest U-
„ niverso, non è che fare una domanda as-
„ surda. Sarebbe lo stesso, che domandare
„ qual'era il corpo, su cui Dio operava
„ quando non v'eran corpi, o se Dio opera
„ su qualche altro corpo oltre tutti i corpi.
„ Similmente non nasce, che dalla cogni-
„ zione che abbiamo de'limiti dell'univer-
„ so, che noi immaginiamo degli spazj infi-
„ niti al di fuori di esso. Il far dunque di-
„ pendere l'immensità di Dio da questi spa-
„ zj, che sono un nulla, è farla dipendere
„ da una illusione della nostra fantasia. Quan-
„ do per tanto diciamo per accomodarci al
„ linguaggio ricevuto, che Dio è in questi
„ spazj, altro non s'intende, se non che
„ Dio può dare a questo mondo un'esten-
„ sion maggiore, e creare altri mondi all'
„ infinito; e quando per l'istessa ragione si
„ dice, che *Dio è per tutto*, o si adoperano
„ altre simiglianti espressioni, non s'intende al-
„ tro se non che vede, che conserva, che
„ opera sopra tutti i corpi, come abbiamo
„ sopra accennato.„

§. 62. Sed Dei immensitas estne ita conci-
pienda? Nos in ea sententia sumus, quod ita
concipi possit Dei immensitas, etsi statuamus
spatium revera in natura existere, ac esse

fubſtantiam aliquam a Deo creatam, ut corpora recipiat. In hac enim hypotheſi Deus videbit, conſervabit omnes ſpatii creati partes, in omnes aget, & operabitur, non ſecus ac videt, conſervat omnia corpora, ac in omnia agit. Cæterum de natura ſpatii videantur, quæ Pſychol. §. 202. & *ſeq.* præcepimus.

§. 63. Non indiget vero demonſtratione, ſtatutam immenſitatem Deo convenire. Cum enim perpetuo videre ac conſervare omnia creata entia, in illa agere, & operari perfectionem ſummam, ſummumque dominium exhibeat, dubitari nequit, quin Deo, qui omnibus perfectionibus pollet, quique rerum omnium eſt abſolutus dominus, convenire debeat.

§. 64. Neque pariter indiget reſponſione, ſi immenſitatem Dei ita concipiamus, id, quod habet apud Chriſtophorum Sarti Auctor *naturæ ſyſtematis*, nempe: *Vel Dei immenſitas eſt ens abſtractum, quod ſpatium, aut vacuum dicunt, vel penetrat materiam quaſi ens reale. Si primum ſimplex eſt mentis idea; reale ergo nihil eſt. Sin vero alterum, reſpondebit ergo materiei partibus, ac proinde erit materia, cum extenſionis, & materiei proprietates habeat. Erit ergo meum corpus, meum brachium &c. Quod ſi myſterium dicatur eſſe, ipſa reſponſio ſatis hujuſce rei ignorationem declarat.* Etenim ſtatim patet, ſtatutam immenſitatem, neque ens abſtractum, neque materiam, neque myſterium *quoad facti exiſtentiam* dici poſſe. Non primum, cum Dei *viſio*, *conſervatio*, & *actio* a mentis noſtræ idea toto cœlo diſcrepent. Non ſecundum, quia nihil extenſi, & ad materiam attinens continent. Non tertium, quia, cum Deus ſit ens perfectiſſimum, ipſum hac etiam

perfectione pollere omnes vident, ac fine ullo mysterio percipiunt. Sed hoc Mirabodii argumentum in hoc etiam male se habet, quod ex hypothesi, Dei nempe immensitatem penetrare materiam, infert, eam esse materiam. Si Dei immensitas penetrat materiam, non est inferendum, eam esse materiam, sed potius non esse materiam, cum materia materiam penetrare nequeat.

CAPUT VII.

De Dei omnipotentia.

§. 65. Eadem ratione, quà ex necessaria Dei existentia infertur, Deum neque existendi initium habuisse, neque finem esse habiturum, nempe esse æternum, ita ex eo quod Deus creaverit materiam, ac omnia, quæ in Mundo sunt, legitime infertur, esse *omnipotentem*. Et revera dubitari nequit, quin *omnipotentia* polleat, qui res ex nihilo eduxit, seu effecit, ut existeret, quod antea non existebat.

§. 66. Hæc autem Dei omnipotentia apte definiri potest facultas efficiendi quidquid contradictionem non involvit, aut moralem imperfectionem non admittit. Dixi 1°. *quidquid contradictionem non involvit*. Nam id, quod contradictionem involvit, existentiæ capax non est. Talis est *circulus quadratus*, *materia cogitans &c.* quæ manifesto conflantur iis, quæ se mutuo destruunt. Dixi 2°. *quidquid moralem imperfectionem non admittit*. Quidquid enim tale est, adversatur infinitæ Dei justitiæ, rectitudini, bonitati, ideoque divinæ o-

nipotentiæ, quæ cætera divina attributa destruere nequit, objectum esse non potest.

§. 67. Omnes divinæ Omnipotentiæ effectus huc usque fuerunt 1°. *Mundi creatio*, 2°. *Mundi conservatio*, 3°. *plura miracula*, de quibus effectibus hic data occasione nonnulla differemus. Dixi *huc usque*, nam ad divinam omnipotentiam pertinet etiam *annihilatio*. Et quidem creatio, & annihilatio sunt extrema duo, quæ opposita via, rationeque inter se conveniunt. Sed creare solius divinæ omnipotentiæ est; igitur ejusdem quoque esse debet annihilare. Itaque si Deus nihil adhuc annihilavit, si in Mundo nihil adhuc in nihilum abivit, id ad constitutum a Deo ordinem, non ad facultatis defectum est referendum.

§ 68. Quoad Mundi creationem præcipue quæri solet, *quot jam anni ab ea elapsi fuerint*. Nos hanc quæstionem ita solvimus, ut cum historicorum antiquissimo, qui juxta severiores Critices regulas omnem fidem meretur, nempe cum Moyse dicamus, sex mille circiter annos jam elapsos fuisse. Quod eo libentius propugnamus, quod nulla antiquiora monumenta, quæ post historiam Moysis ad nos pervenerunt, hanc Moysis propositionem infirment. Omnia enim quamvis multis fabulis scateant, fere id, quod Moyses, testantur, ut inter antiquos Eusebius (1), inter recentiores vero Huetius (2), & Grotius (3) ad evidentiam usque demonstrarunt.

---

(1) *Præpart. Evangel. Lib. I.*
(2) *Alnetan. quæst. Lib. II.*
(3) *De verit. Religion. Christ. Lib. I.*

§. 69. Neque opponas, epocham a Moyse statutam falsam demonstrari 1°. ab Abbate de Prades, qui Sinarum monumentis innixus aperte ostendit, Mundum longe antiquiorem esse, quam illum describat Moyses 2°. a Telliamede philosopho Indo, nempe a de Maillet gallo, qui Telliamedis Indi philosophi nomen sibi imponit. Is enim postquam triginta & amplius annos in montium visceribus examinandis, in marium profunditate prescrutanda insumpserit, tandem concludit, immensam piscium, plantarum, & animantium copiam, quæ in lapidem conversa e montibus etiam a mare remotissimis eruitur; varia & multiplicia Telluris sola, perpetuos Marium recessus, ac imminutionem clare evincere, non a sexaginta circiter sæculis, ut contendit Moyses, sed fere ab infinitis Tellurem existere; Non, inquam, hæc opponas, nam

Quoad Abbatem de Prades respondemus, eum turpiter errare. Et quidem de la Hire, Cassinus, Winstonus, ac præcipue Freretus in historia, & idiomate Sinarum præ omnibus versatus testantur, Sinarum monumentis historiam Moysis labefactari non posse, 1°. quia in hisce monumentis innumeri occurrunt errores quoad eclipses, aliasque cœlestes conjunctiones, 2°. quia immanis ille annorum numerus, qui in iisdem legitur, non est *realis*, sed *immaginarius*, adinventus nempe ad illas periodos designandas, in quibus Planetæ sub quibusdam constellationibus conjunguntur, 3°. quia, ut observat Freretus in Memoriis Academiæ Parisiensi exhibitis, Yao, & Chuna, qui duo illius Imperii fundatores extiterunt, non floruere, nisi anno 1991. ante æram christianam, nempe longe

inferiores sunt epocha illa, quam Mundi creationi assignat Moyses. Merito igitur Thesis Abbatis de Prades condemnata fuit. Merito in lucem prodivit examen hujus Thesis, quod ostendit 1°. Abbatem de Prades Sinarum historiam ignorare, 2°. nihil ex hac historia pro illa Thesi probanda deduci posse.

§. 70. Quoad Telliamedem nostri non est instituti hoc argumenti genus pro dignitate pertractare. Id tantum observabimus 1°. immensam piscium, Plantarum, & animantium copiam, quæ in lapidem conversa e montibus a mari remotissimis eruitur, varia, & multiplicia Telluris sola optime intelligi, explicarique posse & *diluvio universali*, de quo sacra, & profana historia dubitare non permittit (1) & *peculiaribus infortuniis*, quæ identidem globum terraqueum divexarunt, absque eo quod historiæ Moysis, quæ omnes veritatis caracteres habet, fidem denegemus, & ad insaniam cum Telliamode philosophantes per infinita fere sæcula Telluris existentiam protrahamus. Et revera in diluvio universali, quod centum quinquaginta diebus perduravit, ut narrat Moyses, quodque aquas supra altiorum montium cacumina ad plura cubita elevavit, potuerunt, dum aquæ infinita fere vi ibant

---

(1) Diluvium universale confirmari ab historia profana, nempe ab innumeris monumentis latinis, græcis & barbaris post antiquos Ecclesiæ patres demonstrant Huetius *Alnetan. quæst. lib. II. cap.* 12. *n.* 5., Grotius *de verit. Relig. Christ.* lib. I. §. XVI., Bianchinus *Istor. Univers. Deca.* I. cap. 17. aliique eruditi viri.

& redibant, ad Europæ montes, quæ ad Indiæ maria pertinent, & ad regionem aquilonarem Affricæ plantæ, & animantia advehi. Potuerunt innumera corpora origine, gravitate, textura inter se diversa miris modis simul misceri, & varia & multiplicia Telluris sola oriri. Pariter peculiaria infortunia, quæ identidem globum terraqueum divexarunt, nempe Provinciarum inundationes, ignis pluviæ, eruptionesque, terræmotus, aliaque hujusmodi, de quibus dubitare non licet, potuerunt plures ex iis effectibus producere, quæ ab infinitis Terræ sæculis repetit Telliamedes, ut plures summi viri Telluris analysim instituentes demonstrarunt. 2°. observabimus, falsum omnino esse illud principium, cui totum Telliamedis systema innititur, nempe *aquas marium sæculorum lapsu imminui* Si enim mare a nonnullis urbibus, quas olim alluebat, recessit, si aliqui sinus, qui olim portus erant, nunc supra maris superficiem eriguntur, hoc non a perpetua aquarum diminutione est repetendum, sed tantum ex hoc, quod vel maris aquæ decurrentes paullatim ad quædam littora arenas terrasque accumulant, quas magna copia fluvii, & torrentes in mare vehunt, vel mare scopulis, aliisque obstaculis, quibus coercebatur, terræmotu disjectis, in plagas ruit sua superficie inferiores, alioque incepit novos sinus, novaque maria protendere. Hinc in Orbe nostro variæ centri gravitatis mutationes, hinc variæ maris alvei mutationes, hinc physica phænomena omnia, quæ Telliamedes veram aquarum imminutionem esse contendit, ut explicant Physici.

§. 71. Secundus divinæ omnipotentiæ effectus est Mundi conservatio (§. 67). Duplex distinguitur conservationis species, *directa*, scilicet, & *indirecta*. Directa est continua pro-

ductio rei per actionem positivam, atque in hoc sensu conservatio nihil aliud est, nisi non interrupta creatio, ideoque nonnisi divinæ omnipotentiæ effectus esse potest, ut patet. Conservatio indirecta est remotio eorum, quæ rem destruere possunt, ut v. g. dum quis accensæ lucernæ flammulam contra ventorum vim, qua extingueretur, manu protegit. Alia itidem distinguitur conservationis species, quæ *negativa* dicitur, & est mera non destrutio rei, quæ tamen destrui posset. Manifestum autem est, vel ipsam *indirectam* aut *negativam* Mundi conservationem ad solam divinam omnipotentiam pertinere: solius enim divinæ omnipotentiæ est & remotio eorum, quæ Mundum perturbare poterant, & non destructio Mundi, quæ tamen fieri posset.

§. 72. Tertius divinæ omnipotentiæ effectus fuerunt plura miracula. Miraculum dicitur, *quidquid fit contra consuetas naturæ leges mechanicas, & supra vires causarum naturalium.* Hinc ad miraculum non sufficit, ut effectus fit contra consuetas naturæ leges mechanicas, arte enim & viribus humanis effectus hujus generis plures occurrunt, sed etiam requiritur, ut supra vires causarum naturalium fit. Si effectus hujusmodi fit supra vires causarum naturalium, quia nullo pacto viribus naturæ produci possit, tunc appellabitur miraculum *quoad substantiam & modum*. Sin vero fit supra vires causarum naturalium, quia vires naturæ ea ratione effectum illum producere nequeant, tunc nuncupabitur miraculum *quoad modum* tantum. Miracula primi generis sunt *resuscitatio mortuorum, multiplicatio panum*, & similia. Alterius *curare febrim in instanti, restituere in instanti cæco visum, surdo auditum &c.*

§. 73. Jam vero Deum posse miracula sua omnipotentia efficere, demonstratione non indiget. Is enim consuetas leges mechanicas constituit. Is causas naturales creavit, quibus quasdam determinatus vires adjunxit. Cum itaque perfecta libertate polleat, ut deinceps demonstrabimus, poterit pro libito consuetas leges mechanicas suspendere & immutare, poterit pro lubito causarum naturalium vires ita augere, ut effectus, qui ab iis producuntur, supra earum vires sint. Sed non solum Deus potest, sed reapse plura miracula sua omnipotentia patravit. Quis enim negare poterit miracula Servatoris nostri, & Apostolorum, quæ in sacris literis narrantur? Neque Thomas Woolston, neque alii perversissimi homines, qui hæc miracula impugnare aggressi totis viribus sunt, eorum falsitatem demonstrare unquam potuerunt. Consulatur celebris P. Valsecchius *De' fondamenti della Religione Tom. II. cap. XVI.*

§. 74. Errarunt itaque Spinoza, qui impossibilia esse miracula propugnat, Russojus, qui numquam hominem de miraculo certiorem fieri posse contendit, ac tandem David Humius, qui incredibilia miracula existimat. Quorum Auctorum errores eo etiam magis patebunt, si quæ opponunt, diluamus. Spinoza in ea sententia est, quod miracula divinam destruant immutabilitatem. Ita enim *Tract. Theolog. politic. cap. 5.* ratiocinatur. *Naturæ leges nihil aliud sunt, nisi necessaria Dei decreta. Sed Dei decreta immutari nequeunt, cum Deus sit immutabilis. Igitur naturæ leges immutari nequeunt, ac proinde impossibilia sunt miracula, quæ in immutatione legum naturæ consistunt.* Quam autem debile sophisma sit hæc ratiocinatio, nemo non videt. Dum dicitur

naturæ lex, hoc duplici ſenſu poteſt, ac debet intelligi, nempe vel ut *cauſa*, vel ut *effectus*. Naturæ lex, ut cauſa, ſignificat ipſam Dei æternam rationem legiſlatricem; ac proinde in hoc ſenſu naturæ leges erunt ipſa Dei decreta, non neceſſaria, ut ſomniat Spinoza, ſed liberrima, quia Deus perfecta gaudet libertate. Naturæ lex, ut effectus, eſt ordo, quo juxta æternum Dei decretum in hoc mundi ſyſtemate res fluunt, ſeu eſt præſens naturæ curſus; atque in hoc ſenſu naturæ leges immutari poterunt, quia Deus immutabilibus ſuis decretis jam ab æterno ſancivit, ut præſens naturæ curſus quibuſdam in caſibus immutaretur, dum nempe miracula patrare voluit. Hanc Spinozæ objectionem jam ſibi propoſuerat Angelicus Doctor, dum 1. *part. quæſt.* 105. *ar.* 6. ita loquitur. *Si ergo ordo rerum conſideretur, prout dependet a prima cauſa, ſic contra rerum ordinem Deus facere non poteſt. Si enim ſic faceret, faceret contra ſuam præſcientiam, aut voluntatem, aut bonitatem. Si vero conſideretur rerum ordo, prout dependet a qualibet cauſarum ſecundarum; ſic Deus poteſt facere præter ordinem rerum: quia ordini cauſarum ſecundarum ipſe non eſt ſubjectus, ſed talis ordo ei ſubiicitur, quaſi ab eo procedens non per neceſſitatem naturæ, ſed per arbitrium voluntatis, potuiſſet enim & alium ordinem rerum inſtituere. Unde & poteſt præter hunc ordinem inſtitutum agere, cum volerit; puta agendo effectus cauſarum ſecundarum ſine ipſis; vel producendo aliquos effectus, ad quos cauſæ ſecundæ non ſe extendunt. Unde & Auguſtinus dicit (Lib. XXVII. contr. Fauſt. cap.* 3.) *quod Deus contra ſolitum curſum naturæ facit: ſed contra ſummam legem nullo modo facit, quia contra ſe ipſum non facit.*

§. 75. Ruſſojus ita argumentatur: *Cum miraculum ſit exceptio a naturæ legibus, ut judicaret homo de miraculo, deberet naturæ leges agnoſcere, ut vero tuto judicaret, deberet omnes naturæ leges agnoſcere. Sed homo non poteſt omnes naturæ leges agnoſcere. Ergo nunquam certior de miraculo fieri poteſt* (1). Sed reſpondemus ad certum de miraculo judicium ferendum homini ſufficere, ut illas agnoſcat naturæ leges, quas miraculum ſuſpendit, aut immutat. Jam vero quaſdam naturæ leges, ſaltem illas, quæ ad nos, ad vitam noſtram, ad communia hominum facinora referuntur, ita homini notas perſpectaſque eſſe, ut de earum cognitione dubitari non poſſit, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Ita certo ſcimus, diei ſuccedere noctem, æſtati autumnum, vitæ mortem. Certo ſcimus hominem inter flammas aduri, in aqua ſibi relictum ſubmergi, vere mortuum ad vitam non poſſe redire, ex nihilo aliquid facere non poſſe, & centena hujuſmodi, de quibus nemo unquam dubitavit. Cur ergo de miraculo dubitaverit homo, cum has naturæ leges, quas perfecte cognoſcit, vel ſuſpendi, vel immutari videat? Abditæ ſint ei aliæ naturæ leges, ſint reliquæ naturæ vires illi incompertæ. Semper verum erit, nulla abdita naturæ lege fieri poſſe, ut qui inter flammas eſt, non aduratur, qui in aqua ſibi relinquitur, non ſub-

(1) Puiſqu'un miracle eſt une exception aux loix de la nature pour en juger, il faut connoître ces loix, & pour en juger sûrement, il faut le connoître toutes. *Lett. III. pag.* 96.

mergatur, qui vere mortuus est, ad vitam redeat, qui nihil habet, aliquod opus absolvat &c. Abditæ enim naturæ leges cum notis perspectisque non pugnant. Nullius igitur ponderis est hoc argumentum.

§. 76. Tandem David Humius apud Cristophorum Sarti ita objicit: 1°. „ Duorum „ experimentorum, quorum unum adverse„ tur alteri, illud credibile, illud fide dignum „ apparet, quod costanti, diuturna, commu„ nique observatione confirmatur; illud con„ tra incredibile, nullaque dignum fide est, „ quod sola nititur observatione perfuncto„ ria, brevi, singularique. Est autem explo„ ratum, naturæ leges constanti, diuturna, „ & communi observatione innotescere, mi„ racula autem, quæ sunt naturæ legibus oppo„ sita experimenta, sola observatione perfun„ ctoria, & brevi, & singulari patefieri; er„ go quantum credibiles sunt naturæ leges, „ tantundem sunt incredibilia miracula 2°. „ Nullum est miraculum, quod fide dignum „ appareat. In eo enim, qui de re admira„ bili testatur, requiruntur judicium, edu„ catio, doctrina, famæ nominisque celebri„ tas, tandem rei, quæ publice contigerit, „ testimonium. Quænam vero miracula sunt, „ quæ a testibus hujus generis referantur? „ Hæc autem argumenta quam parvi momenti sint, declarat idem Sarti. Respondet enim ad primum „ Humii principium de opposi„ tione duorum experimentorum verum esse, „ si experimenta ipsa e diametro, ut in„ quiunt, opponantur, seu si de eodem sit „ secundum idem pugna experimentorum. „ Contra si oppositio ista alterius generis sit, „ idem Humii principium falsum omnino es„ se dicendum est. Jam vero, quæ diame-

„ tralis est pugna inter observationem, seu
„ experimentum, cui miracula innituntur,
„ & alteram, a qua cognitio legum naturæ
„ est repetenda? Cum miracula naturæ vi-
„ ribus haud fiant, qui miracula observat,
„ testaturque, nullum opponit experimentum,
„ quod e diametro opponatur alteri per con-
„ suetas naturæ leges comprobato. Hinc qui
„ miracula refert, nihil opponit contradicto-
„ rium illi, qui testimonium de naturæ legi-
„ bus exhibet. Possunt enim naturæ leges
„ subsistere, interea tamen miracula vera
„ esse possunt, dummodo ea non ab eadem
„ natura, sed ab ejusdem omnipotenti au-
„ ctore repetantur. Si quis de Principe re-
„ ferat, legem aliquam condidisse, ejusque
„ legis vim, potestatemque jam vigere apud
„ subditos omnes commemoret, certe incre-
„ dibilia non facit, quæ ab altero de aliqua
„ ab eodem principe dispensatione facta so-
„ lent enarrari. Dispensatio enim non op-
„ ponitur legi, sed supra legem est, potest-
„ que fieri ab eo, a quo eadem lex facta
„ supponitur. Ita porro de miraculis disse-
„ rendum, quæ cum veræ dispensationes
„ extent, nullam cum naturæ legibus ha-
„ bent oppositionem. „

Respondet ad secundum „ non omnem,
„ quæ ab Humio requiritur, conditionem
„ necessariam esse, ut miraculorum fide di-
„ gni sint testes. Nulla enim neque educa-
„ tionis, neque doctrinæ necessitas est, quem-
„ admodum ipsa judiciorum ratio in tribuna-
„ libus aperte confirmat. Ubi ergo in teste
„ & mentis capacitas cum facti scientia con-
„ juncta, & summa probitas appareat, jam
„ in eo splendet quidquid ad fidem sibi con-
„ ciliandam est necessarium. Quibus positis

„ innumera fere sunt miracula, quibus e se„ verioribus criticæ regulis præstanda est fi„ des. Nihil dico de iis, quæ in veteri Te„ stamento contigisse referuntur. De iis so„ lum loquor, quæ vel a Christo Servatore „ nostro, vel ab Apostolis patrata fuere. „ Potest ne hisce omnibus fides denegari, „ quin una simul omnes prudentiæ, & æqui„ tatis leges violentur? Legatur Ditton de „ Resurrectionis mysterio, Utwillus in Reli„ gione per facta demonstrata, Bonnetus in „ Christianismo, Hoochius denique, aliique. „ Ad Humii vero uberiorem confutationem „ consulatur Adams, atque Leland, quorum „ uterque confregit Humium „.

CAPUT VIII.

De Dei intellectu.

§. 77. Nihil est in Mundo, quod Deum intelligere, & quidem ratione perfectissima ipsum intelligere non declaret. Si nolmetipsos, qui intellectu pollemus, quique a Deo existentiam accepimus, intueamur, fateri cogimur, Deum intellectu gaudere, cum nihil perfectionis in effectu haberi possit, quod non reperiatur in causa. Si primam universi productionem, si ejus pulchritudinem, si varietatem, ordinemque, si mirabilem rationem, qua res quælibet ad proprium finem dirigitur, tantisper contemplemur, asseramus necesse est, Deum ne dum intellectu, sed intellectu perfectissimo nobis prorsus incomprehensibili esse donatum.

§. 78. Ob istam divini intellectus perfectionem longe aliter de divino ac de humano intellectu est differendum. Humanus intellectus conflatur duodecim viribus intelligentibus (*Log.* §. 27.). Contra divinus intellectus conflatur *perceptione*, & *judicio* in gradu absolute sommo, nullisque aliis viribus intelligentibus indiget. Et quidem per perceptionem in gradu absolute summo intuetur unico actu omnia singularia, & universalia; per judicium vero in gradu absolute summo simul distinguit in omnibus singularibus, & universalibus ea omnia, quæ ipsis insunt, eorumque mutuas omnes relationes, omnesque comparationes possibiles. Igitur per has duas operationes omnia intuitive cognoscit, nec proinde opus habet, vel ex judiciis præviis alia formare *ratiocinando*, vel per *abstractionem* multiplicem rerum adspectum introspicere, vel per alias vires intelligentes rerum ideas sibi comparare.

§. 79. Scientia igitur Dei est *simplicis intuitionis*, nullaque in eo datur scientia *demonstrationis*. Scientia enim demonstrationis nonnisi *ratiocinio*, vel *ratiocinationum* serie acquiritur (Log. §. 102.), quæ operatio in divinum intellectum cadere nequit.

§. 80. Hæc autem simplicis intuitionis scientia, quamvis in Deo una sit, & simplicissima, ac per eam Deus omnia simul agnoscat, attamen a nobis ob diversitatem objectorum, quæ complectitur, dividitur 1°. in scientiam *simplicis intelligentiæ*, & *visionis* 2°. *in necessariam*, & *liberam*. Omnia possibilia cum *intrinsece*, tum *extrinsece*, quæ tamen nunquam existent, dicimus, Deum agnoscere scientia simplicis intelligentiæ Res omnes, quæ in tempore existunt, sive actu existant, sive extiterint,

sive

five exturæ ſint, dicimus, Deum cognoſcere ſcientia viſionis. Quam ſcientiam viſionis relate ad res exturas appellamus *præſcientiam*. Objecta neceſſaria cum ex parte Dei (quæ nempe nullum in Deo præſupponunt decretum liberum, ut talia ſint, qualia repræſentantur) tum ex parte ipſorum (quæ ſcilicet non ſunt indifferentia ad exiſtentiam, & non exiſtentiam, ſed ex ſe determinata ſunt ad exiſtentiam), qualis eſt ipſe Deus, dicimus, Deum agnoſcere ſcientia neceſſaria. Contra vera objecta contingentia cum ex parte ipſorum, tum ex parte Dei, dicimus, Deum agnoſcere ſcientia libera.

§. 81. Binas has ſcientiæ Dei diviſiones nonnulli Theologi adæquatas exiſtimant, cum ſingula, quæ cognoſci poſſunt, ad aliquam ex recenſitis ſcientiis referri poſſe opinentur. Sunt tamen alii, qui de futuris *conditionatis* ſermonem inſtituendo diverſimode ſentiant. Conſulantur, ſi vacat, Theologi, cum noſtri non ſit, tantam componere litem. Id unum obſervabimus, Deum perfectiſſima, qua pollet, ſimplicis intuitionis ſcientia 1°. *ſe ipſum* perfecte intelligere, ac comprehendere, tanquam primarium objectum, ac præſtantiſſimum intelligibile, 2°. *omnes rerum eſſentias, rationeſque*, ideſt *veritatem omnem*, cum hæc omnia ſint a Deo, ac in eodem contineantur, ac repræſententur. 3°. *omnia poſſibilia*, quorum ſingula eſſentiam in Deo habent, ac a divina omnipotentia recipere exiſtentiam poſſunt: 4°. *omnia, quæ exiſtunt, ne demptis quidem cogitationibus internis*, cum Deus ſit immenſus (§. 62.), nempe continuo videat, conſervet, quæ creavit, ac in ſingula agat, & operetur. 5. *omnia ab æterno futura ſeu neceſſaria, ſeu libera*. Nulla enim fieri in Deo

potest novæ perfectionis accessio, cum perfectissima natura sit, ac immutabilis. Ergo futura omnia ab æterno intellexit.

CAPUT IX.

De Dei libertate.

§. 82. Dari in Deo libertatem invicta argumenta suadent. Etenim 1°. intimo conscientiæ sensu, & testimonio nobis compertum est, nos esse liberos: hanc igitur libertatem nobis indidit Deus, per quem existimus: atqui non potuisset eam mentibus nostris inseruisse, nisi illa ipse polleret, cum repugnet reperiri in effectu perfectionem, qua ejus causa destituatur. Ergo Deus est liber. 2°. Deus, uti observat Clarkius propositione nona *de existentia Dei*, in hac mundi productione & consilium adhibuit, & usum fecit mediorum, quæ ad finem obtinendum conducunt. Sed sine libertate id efficere non potuisset, ut patet. Ergo Deus est liber. Tantam vim habet hoc argumentum, ut Spinoza ad illud eludendum asserere debuerit, causas finales, veluti humana figmenta, esse reputandas (§. 35.), ideoque oculos factos non fuisse ad videndum, dentes ad cibos terendos &c., quod an sit prorsus insanire, judicent sapientiores. 3°. Causa necessaria totis operatur viribus Si ergo infinita sit, vi operabitur infinita; hæc autem infinitum gignit effectum Cum ergo res omnes præter Deum finitæ sint, ipse perfecta gaudet libertate, suoque arbitratu viribus utitur. 4°. Deus est omnipotens, quod §. 65. demonstratum

fuit. Sed vera, ac activa omnipotentia sine arbitratu, nempe sine libertate concipi nequit, ut patet. Ergo Deus est liber.

§. 83. Cum autem dicimus, Deum esse liberum, neque est id intelligendum relate ad omnia objecta, neque ejus libertas similis libertati humanæ statuenda est. Non est liber relate ad omnia objecta, nam in iis, quæ ad ipsum *essentialiter* spectant, ut est *suam nosc ere existentiam, seipsum amare &c.* nulla gaudet libertate. Pariter non est liber ad amandas creaturas amore simplicis complacentiæ, cum non possit illi non placere ea bonitas, quæ in ipsis reperitur. Est vero liber ad eas amandas amore efficaci, ut ad dandam illis existentiam, vel non dandam. Est liber in ordine ad ea, quæ spectant quidem ad ipsum, sed tantum *accidentaliter*, ut quoad gloriam suam accidentalem. Deinceps divina libertas similis libertati humanæ statuenda non est. In nobis enim libertas cum aliquibus imperfectionibus conjungitur, a quibus est immunis in Deo. Ac primum in nobis datur libertas ad opposita objecta, ut ad bonum, & malum. In Deo autem nulla dari potest libertas ad malum, cum id adversetur naturæ optimæ, & præstantissimæ. In nobis libertatis exercitium absolvitur per plures actus, quorum uno tendimus in unum objectum, altero in alterum. In Deo non item, qui per unum, ac simplicissimum actum omnia vult. In nobis hoc exercitium est successivum, modo enim volumus unum, modo nolumus, vel volumus alia: non sic Deus, cujus libertatis exercitium nullam mutationem in ipsum inducit.

§. 84. Sed inquies: nonne invicem pugnantia sunt in Deo ex una parte *immutabi-*

litas, ex altera *libertas?* ex una parte *agere juxta infinitæ ſapientiæ regulas*, ex altera *agere libere?*

Reſpondemus ad primum, immutabilitatem cum libertate pugnare, ſi ex notione libertatis humanæ de divina diſſeramus. Verum ſi a divina libertate tollantur ſuperius expoſiti humanæ libertatis defectus, omnis pugna evaneſcit. Cum enim Deus ab æterno ſimul noverit omnia, &, ut ea novit ab æterno, eodem ſemper modo ſua præſtantiſſima ratione cognoſcat, quæ per unum ſimpliciſſimum actum ab æterno libere voluit, eodem ſemper modo volet; ac propterea erit immutabilis & liber.

Reſpondemus ad ſecundum, regulas infinitæ ſapientiæ, uti etiam regulas divinæ juſtitiæ, bonitatis, virtutis &c. cum divina libertate non pugnare. Hæ enim regulæ neceſſario quidem requirunt, ut Deus, cum operatur, ſapienter, juſte, ac ſancte operetur, ſed non impediunt, quominus facultatem operandi pro arbitrio Deus exercuerit, ac inter diverſa bona ea pro arbitratu ſelegerit, quæ voluit. Deum non poſſe contra has regulas operari idem ſignificat, ac non poſſe agere contra ſuas perfectiones, contra leges propriæ exiſtentiæ, contra ſe ipſum. Porro agere contra ſeipſum contradictionem involvit, ac facultas efficiendi contradictoria non eſt potentia realis, ſed nihilum, ſed chimæra, quæ nullo modo ad libertatem ſpectat.

§. 85. Divinam libertatem deſtruit prorſus ſyſtema *Optimiſmi*, de quo proinde hic nonnulla diſſerere alias re non erit. Leibnitius, ejuſque aſſeclæ contendunt, Deum in operando ſemper melius, & quod optimum ſit, eligere debere. Hinc juxta hos Philoſophos

Mundus præsens est melior omnibus Mundis possibilibus, nec potuisset Deus alium Mundum ab hoc diversum creare. Si reapse Deus hac lege teneretur, nunquam libere operari posset; melius enim, & optimum, quando datur, semper unum est. Quam autem hoc *Optimismi* systema absurdum sit facile demonstratur.

§. 86. Nam quid intelligunt Leibnitiani, dum dicunt, Deum semper debere melius operari? Intelligunt ne *melius* relate ad ipsum Deum? Sed Deus nec aliquid amittere, nec aliquid acquirere potest. Ipse nec fit major, si creaturas habeat, nec minus felix, si iisdem careat. Major, minorve numerus creaturarum, major, minorve earum perfectio in ejus felicitatem non influit, ac proinde sub hoc respectu melius non datur. Intelligunt ne *melius* relate ad consequendum finem, quem sibi in operando proposuit. Sed si de fine immediato, qui est præsens Mundi ordo, agant, infinitis mediis, viisque æque perfectis potentia, ac sapientia Dei hunc finem obtinere poterant, neque enim hæc potentia & sapientia infinitæ forent, si illum innumeris ejusdem perfectionis modis non potuissent consequi. Sin vero de fine mediato, & essentiali, qui est ejus gloria, verba faciant, poterat Deus hunc finem æque consequi vel manifestatione propriæ bonitatis, vel propriæ justitiæ, vel aliarum perfectionum. Omnes enim sunt infinitæ, omnes sunt idem, omnes sunt Deus. Neque igitur datur melius in hoc secundo sensu. Intelligunt ne *melius* in se ipso, aut quoad nos? Sed si Deus deberet semper operari, quod est melius in seipso, aut relate ad nos, omnia ejus opera deberent esse infinita, ac æque perfecta, ac ipse Deus.

Nullus enim habetur perfectionis, aut felicitatis gradus, qui usque ad infinitum augeri non possit. Dicere igitur, quod Deus debeat semper melius in hoc sensu operari, idem est, ac dicere, quod Deus numquam operari debeat, quod impossibile sit, ut agat. Ad nullum enim terminum in suis operibus pervenire unquam posset, nullum unquam bonum utcumque magnum nobis posset tribuere, cum semper majus tribuendum remaneret. Patet igitur *optimismum* esse omnino absurdum.

§. 87. Nec quidquam valet ratio, qua Leibnitiani ostendere sibi suadent, Mundum hunc a Deo creatum esse omnibus Mundis possibilibus in se meliorem, perfectioremque. Asserere enim, ut ipsi asserunt, quod si hic Mundus non esset omnibus possibilibus melior, perfectiorque, Deus non habuisset rationem sufficientem illum præ aliis creandi, est asserere id, quod est omnino falsum. Quamvis enim illi defuerit ratio sufficiens *extrinseca* potior, petita nempe a majori præstantia, majorique numero attributorum, non tamen illi defuit vel ratio quæcunque sufficiens extrinseca desumpta a bonitate, qua hic Mundus gaudet, vel ratio sufficiens *intrinseca* ab exercitio suæ perfectissimæ libertatis dimanans. Porro, ut jam *Psychol.* §. 45. observavimus, causæ liberæ sese determinare possunt ad operandum vel propter rationem sufficientem extrinsecam potiorem, vel propter rationem sufficientem extrinsecam quamcumque, vel propter rationem sufficientem intrinsecam. Si agere non possent, nisi rationem sufficientem extrinsecam potiorem semper sectarentur, non essent amplius liberæ, sed ad unum determinatæ, ut patet. Hic igi-

tur Mundus a Deo creatus dici quidem potest perfectus in hoc sensu, quatenus ideis, finibusque Creatoris perfecte respondet, non autem quatenus majori numero, & intensitate attributorum donari non potuisset. Ea est rerum finitarum natura, ut perfectiores & perfectiores quoad numerum, & intensitatem attributorum fieri possint. Quæ quidem doctrina a sacra Scriptura confirmatur. Ubi enim de divinis operibus sermonem illa instituit, ea appellat *valde bona*, non omnibus *meliora*.

CAPUT X.

De Dei bonitate.

§. 88. Bonus a nobis dicitur, qui bona tribuit, eo autem *magis bonus*, quo bona majora tribuit, quo minus ad ea tribuenda tenetur, & quo minorem utilitatem in bonis tribuendis habere potest.

§. 89. Hæc omnia in gradu absolute summo Deo convenire omnes vident. Deus nulla obstrictus lege dedit nobis vitam, omnesque sive corporis, sive animi facultates, easque jugi virtutis suæ efficacia conservat. Dedit naturale lumen, quo verum a falso, bonum a malo secerneremus; dedit præterea quidquid boni ab aliis hominibus accepimus; solius enim Dei est, beneficam voluntatem inspirare. In his bonis nobis tribuendis nullam utilitatem habere potuit, cum ex una parte sibi perfecte sufficiat, sitque ex se ipso summe beatus, ex altera vero nihil a nobis

sperare, aut timere potuerit. Deus igitur in gradu absolute summo est bonus.

§. 90. Quæ cum ita sint, mirum profecto est, adesse homines, qui tantum abest, ut Dei bonitatem fateantur, illique pro acceptis bonis gratias agant, quin illam denegent, quia majora bona non acceperunt. Horum hominum querelæ similes profecto sunt iis, quibus vitrum v. g. conquereretur, cur non sit adamas, urtica cur non sit rosa, plumbum cur non sit aurum, pulex cur non sit elephas, aut quibus mendicus benefactorem accusaret, quod centum tantum nummos aureos, non mille illi tribuerit.

§. 91. Sed hi perversissimi homines opponunt, se malis esse subjectos, a quibus tamen Dei bonitas illos liberare potuisset. Dum autem ita ratiocinantur, non distinguunt mala, quorum ipsi tantum causa sunt, a malis, quæ citra eorum voluntatem eos affligunt. Omnia animi mala, ut anxietates, timores, iræ, odia, ac cætera hujusmodi, quibus divexantur, non a Deo, sed a perverso usu virium intelligentium, ab affectibus, quos rite non moderantur, originem ducunt. Plura corporis mala ideo illos premunt, quia ingluviei, ebrietati, aliisque hujusmodi vitiis indulserunt, nempe quia ipsi propria culpa, iisdem premi voluerunt. Si hæc mala, quorum ipsi tantum causa sunt, distinguerent ab iis, quæ citra eorum voluntatem illos cruciant, non tantopere de divina bonitate conquererentur. Imo aperte agnoscerent, ut jam §. 45. observavimus, se malis hujusmodi aut præparari ad virtutem, ut non peccent, aut juste puniri, quia peccarunt, ut a peccatis recedant, & ad æternam felicitatem consequendam perveniant, quod quidem infiniti amoris, & bonitatis argumentum est.

CAPUT XI.

De Dei justitia.

§. 92. Justus est, qui unicuique id tribuit, quod toto jure ad illud pertinet, *injustus* vero, qui negat, aut aufert aliis id, quod eodem jure esset iisdem tribuendum. Deus in hoc sensu nunquam nobiscum injustus esse potest; nullum enim jus nos habebamus quoad bona, quæ vel in hac, vel in altera vita liberaliter Deus nobis concedit.

§. 93. Sed præter jus, quod a lege naturali, vel a pacto, vel ab antecedenti proprietate oritur, aliud etiam habetur quoddam juris genus, quod in eo situm est, ut præmiis afficiatur, qui recte operatur, pœnas autem luat, qui male vivit. In hoc quoque sensu Deum esse justum facile apparet. Is enim hujus juris leges perfecte callet, quia est summe intelligens, eas perfecte exequi valet, quia est summe potens, & ab iis servandis nullo impulsu deterreri nequit, cum sibi omnino sufficiat. Is est Legislator, ac Princeps sapientissimus, quod quidem omnino expostulat, ut præmia & supplicia unicuique pro meritis rependat.

§. 94. Neque opponatur 1°. quotidianam experientiam ostendere, bona malis, mala bonis rependi a Deo, quod observavit etiam Cicero, qui libro tertio *de natura Deorum* dicit: *dies deficiet, si velim commemorare, quibus bonis male evenerit; nec minus si commemorem, quibus malis optime* 2°. distributionem fortu-

narum a Deo factam minime respondere justitiæ distributivæ, cum sint, qui quasi ad miseriam nascantur, careantque rebus ad vitam necessariis, contra vero sint alii, quorum nullis prope finibus circumscribantur opes, quique ad beatitudinem orti videantur. Non inquam hæc opponantur. Nam

Ad primum respondemus mala malis, bona bonis rependenda esse a divina justitia vel in hoc vitæ statu, vel in altero. Neque enim necesse est, ut statim ac quis peccat, criminis sui pœnas luat. Veniet quippe tempus, quo divina justitia principem sibi locum vindicabit, seposita omni commiseratione. Quod vero ad præsens tempus attinet, nemo tam justus, qui aliquando non delinquat: inde temporalis punitio; nemo tam malus, qui aliquod bonum non operetur: inde fluxa, ac temporalis felicitas. Boni hic pænis exercentur, ut mundentur, & cœlo maturescant; mali vero hic falsa felicitate gaudent, quia post mortem acerbius torquendi sunt. Dixi *falsa felicitate* gaudent. Nam conscientiæ stimulis perpetuo cruciantur, prout optimo virtutum patrimonio perpetuo recreantur viri boni. Nullo igitur modo læditur divina justitia, quod in hoc vitæ statu mali bonis generatim affluant, & boni malis afficiantur. Hinc S. Augustinus *lib.* 1. *de Civit. Dei cap.* 6. ita loquitur: „ Patientia Dei ad pœ„ nitentiam invitat malos, sicuti flagellum „ Dei ad pœnitentiam erudit bonos. Item „ misericordia Dei fovendos amplectitur bo„ nos, sicuti severitas Dei puniendos corripit „ malos; placuit quippe divinæ providen„ tiæ præparare in posterum bona justis, qui„ bus non fruerentur injusti, & mala impiis, „ quibus non excruciabuntur boni. Ista vero

„ temporalia bona, & mala utrisque voluit
„ esse communia, ut nec bona cupidius ap-
„ petantur, quæ mali quoque habere cernun-
„ tur, nec mala turpiter evitentur, quibus
„ & boni plerumque afficiuntur; nam si nunc
„ omne peccatum manifesta plecteretur pœ-
„ na, nihil ultimo judicio servari putaretur.
„ Rursus si nullum peccatum nunc punisset
„ aperte Divinitas, nulla esse providentia di-
„ vina putaretur „. Cæterum omnes divinæ
justitiæ leges expendere, humanæ non est
sapientiæ. Hinc præclare ait idem S. Doctor
lib. de vera Relig. cap. 22. „ Non multum
„ iis, qui nausea & vertigine laborant, dissi-
„ miles sumus, qui omnia sursum, deor-
„ sumque verti putant, cum ipsi vertantur.
„ Idem enim his, de quibus loquimur, acci-
„ dit; neque enim Deum se sapientiorem
„ esse putant.

§. 55. Respondemus ad secundum falso ab adversariis supponi, fortunarum distributionem a Deo factam fuisse; Deus enim, cum sit omnium parens, generica lege usus est, qua voluit, ut omnes viverent, ac conservarentur. Cum itaque omnes id habeant, unde vivant, & conserventur, vel facta ab hominibus inæquali distributione bonorum, non est, cur de divina justitia conquerantur. Sed demus etiam a Deo factam fuisse distributionem hujusmodi. Si vera beatitudo non est in bonis hujus vitæ reponenda, putandum est, hanc miseriam datam nonnullis hominibus, ut facilius ab iis veri nominis comparetur felicitas, quæ certe inter divitiarum illecebras obtineri difficillime potest.

CAPUT XII.

De Dei veracitate.

§. 96. Dei veracitas necessario fert, Deum non posse falsum asserere, seu mentiri. Dixi *seu mentiri*; licet enim idem non sit in nobis falsum asserere, & mentiri (cum possit quis mentiri, quin falsum dicat, si nempe verum asserat, dum putat, se falsum asserere, & possit quis dicere falsum, quin mentiatur, si nempe existimet, se dicere verum, dum quod dicit, est falsum), in Deo tamen, qui semper vere judicat, hæc duo separari non possunt; si enim ipse falsum assereret, semper agnosceret, illud esse falsum, ideoque semper diceret aliter ac sentiret, in quo tota mendacii ratio sita est.

§. 97. Et hanc quoque proprietatem, quæ est præcipuum spei naturæ fundamentum, Deo convenire, demonstratione non indiget. Cur enim Deus mentiretur? an ex improbitate? at summe bonus est (§. 89.). An spe alicujus commodi, aut metu alicujus incommodi? sed perfecte sibi sufficit, ac proinde nihil habet optandum, vel metuendum. Accedit, veracitatem summam esse perfectionem, quæ proinde Deo enti perfectissimo conveniat oportet.

§. 98. Deus itaque 1°. neque per se, neque per alium nos decipere potest, si enim vel per se, vel per alium nos deciperet, immediate, aut mediate mentiretur, ut patet; 2°. neque de potentia, ut inquiunt, *absoluta* mentiri potest; ex una enim parte Dei omni-

potentia ad ea se non extendit, quæ cætera divina attributa destruunt (§. 66.), ex altera vero mendacium divinæ bonitati manifesto adversatur. Longe igitur a veritate aberrarunt Petrus de Alliaco, Almainus, Gabriel, aliique, qui Deum de potentia absoluta mentiri posse docuerunt.

§. 99. Ratio, qua nonnulli Deum mentiri posse tuentur, est paritas, quam inter mendacium, & malum instituunt. Inquiunt enim: mendacium opponitur veracitati eadem ratione, qua malum opponitur bonitati. Sed Deus, etsi bonus sit, potest velle, imo aliquando vult malum, ergo a pari, quamvis sit verax, mendacium velle ac proinde mentiri poterit. Sed hæc paritas est prorsus absurda. Etenim malum, cum *physicum* est, rationem boni habet, cum vel præparet hominem ad virtutem, vel juste illum puniat, quia peccavit, ut a peccatis recedat, & ad æternam felicitatem consequendam perveniat, quod infinitæ bonitatis est argumentum. Contra mendacium semper malum est, semper opponitur veritati, semper aliquid turpe, ac inhonestum repræsentat, nec unquam bonum fieri potest, cum id ejus naturæ adversetur. Pugnat igitur semper cum divina perfectione, ac proinde Deus nunquam mentiri potest. Hinc merito S. Scriptura dicit: *Non est Deus, quasi homo, ut mentiatur: cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.*

CAPUT XIII.

De Providentia Dei in ordine naturali tum physico, cum morali.

§. 100. Providentia Dei est æterna præparatio, ac dispositio mediorum, quibus unaquæque res in tempore ad fines suos a Deo dirigitur.

§. 101. Dividitur in *naturalem*, & *moralem*. Per providentiam naturalem Deus curam habet de productione, & conservatione physica rerum, de illarum vi operatrice naturali &c. Per providentiam moralem curam habet, ut creaturæ intellectu præditæ laudabiliter, & honeste operentur, ut finem ipsis propositum assequantur, & ad hoc illis suppeditat media.

§. 102. Providentia moralis subdividitur in *moralem naturalem*, & *in moralem supernaturalem*. Prima est, qua Deus curat, ut creatura ratione pollens recte dirigatur & circa finem, & circa media, quæ ei conveniunt præcise ex vi suæ creationis: Secunda est, quæ versatur circa finem & media eidem destinata non vi creationis, sed vi gratuitæ elevationis, de qua in sequenti capite agemus.

§. 103. Deum providere in ordine naturali, ac in ordine morali 1°. constat ex *idea Dei infinite sapientis*. Neque enim infinite sapiens Deus dici posset, si rebus creatis media non præparasset, quibus conservarentur, finemque ipsis statutum assequerentur, 2°. *ex idea Dei summe justi*. Quomodo enim Deus summe justus omnia ordini cum physico, tum morali subjecisset, ac interim

media, quæ hujusmodi ordines necessario expostulant, præparare creaturis renuisset? 3°. *ex idea Dei summe boni*. Creaturarum enim curam abjicere, easque temeritati, & fortunæ committere a divina bonitate prorsus alienum est. Profecto parentes, natura duce, liberorum curam suscipiunt, ipsæmet belluæ suos fœtus non deserunt: quanto magis credendum est, Deum summe bonum, rerum, quas condidit, curam gerere? 4°. *ex constanti ordine, qui in orbe universo elucet*. Si enim Deus non providet, qui fit, ut tam certi sint Cœli motus, ut quatuor anni tempora sibi invicem succedentia, ac dierum noctiumque vicissitudines constantes, ac uniformes sint? Qui fit, ut æterna elementorum pugna, æternusque corporum inter se conflictus motum, quo natura visibilis animatur, fæcundaturque, tandem non extinguant? Qui fit, ut omnes plantarum, ac animantium species perpetuo serventur, quin primigeniam naturam mutent, quin eorum organa, ac structura vitientur, quin sese invicem destruant? Qui fit, ut mare & tellus constanter omnium viventium speciebus ea alimenta præbeant, quæ eorum organis, ac indigentiæ sunt consentanea, & ut in quavis specie conservationis subsidia semper sint destrutionis caussis proportionalia? Qui fit, ut homines, etsi legibus, præjudiciis, propensionibus admodum varii, semper & ubique virtutem honore, vitium horrore prosequantur? Nonne, ut omnis civitas, ubi omnia summo ordine ac dispositione admirabili moveantur, argumento est providentiæ Principis sapientissimi, magistratus optimi, ita Orbis universus, in quo tanta rerum varietas, tantaque simul constantia deprehenditur, Numen summe providum declarat?

§. 104. Quæ cum ita sint, turpiter errarunt 1°. Epicurei, qui fortuitæ atomorum concursioni ea omnia tribuunt, quæ in Mundo contingunt. 2°. Deistæ plurimi, qui Deum sublimiorem, & præstantiorem esse affirmant, quam ut rebus humanis providere, ad illarumque curam se demittere velit. Hos omnes perbelle reprehendit Cicero, qui libro secundo de *Nat. Deor.* inquit: *Quis hunc hominem dixerit, qui cum tam certos cœli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa, & apta viderit, neget in his ullam esse rationem, eaque casu fieri dicat, quæ quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus?*

§. 105. Sed Deistæ duo nobis opponunt: 1°. inquiunt, dedecet, Deum infinite sapientem, & infinite magnum in rebus creatis curandis, quæ coram ipso infinite viles sunt, occupari, earumque indigentias, conflictus, bonas, malasve qualitates attendere, quæ ipsi maxime exigua sunt, ac nullius momenti, ut regem potentissimum dedeceret, vermes, & insecta, quæ in ejus hortis nascuntur, curare, eorumque gressus & opera studiose persequi. Hinc aut nulla est providentia, quæ Mundum, homines, bruta, plantas, & reliqua curet, aut si aliqua est, ipsas tantum species, quas Deus servare vult, curat, non vero individua, quæ sive sint, sive pereant, nihil ejus interest. 2°. inquiunt: Si Deus rerum ordinis physici, & moralis conservator, provisorque esset, tot ne *imperfecta*, & *incongrua* in Mundo haberentur? Essent ne in Tellure, quam incolimus, tot immensæ regiones intolerabili calore adustæ, tot aliæ æterno gelu inhospitæ, tot horrendi montes, tot herbæ lethiferæ, tot noxia in-

fecta, tot fera bruta, quæ nunquam infinitæ fapientiæ opus dicenda funt? Obnoxii ne effent homines tot pravis affectibus, tot morbis, quibus crucientur? tot ne crimina homines perpetrarent, ac tam virtutem faftidirent? Nonne fi Deus provideret, ordinem cum phyficum, tum moralem ftatuere debuiffet multo meliorem, perfectioremque?

§. 106. Hæ cavillationes ad ravim ufque a Deiftis repetitæ tantum abeft, ut Dei providentiam tollant, quin illam magis magifque confirment, cum & dialectica, & demonftratæ hucufque Dei proprietates earum futilitatem aperte oftendant. Et quidem quoad primum fpectat, falfum omnino eft, quod ponunt Deiftæ, nimirum Deum fe habere ad res creatas, ut Rex ad horti fui vermes. Rex, utcumque viribus intelligentibus valeat, homo femper eft, & pauca tantum mente complecti poteft. Contra Deus, quæ creata funt, crearique poffunt, infinito fuo intellectu complectitur, nullumque eft individuum, quod femper non videat. Rex quo plura curat, eo magis defatigatur, majorique anxietate, ac follicitudine tangitur. Contra Deus nullo labore, nulla anxietate, nulla follicitudine tangi poteft, ac immutabilitate, perfectaque tranquillitate præditus omnia ab æterno cognovit, ac vi æternæ præparationis, & difpofitionis mediorum immutabiliter & tranquille omnia ad fuos fines dirigere potuit, ne illis quidem exceptis, quæ nobis abjecta ac viliffima videntur effe. Rex, fi non horti fui vermes, fed alia curet, aliquam fibi capit utilitatem. Contra Deus ex nullius rei cura commodum ac utilitatem capere poteft, cum nulla re indigeat, ac fit ex fe ipfo fumme beatus. Dedecet igitur Regem, qui

pauca tantum curare poteſt, qui defatigatur, qui propriis indigentiis ſatisfaciat oportet, occupari in iis, quæ cum nullam illi afferant utilitatem, minima ac futilia judicat, ut proprii horti vermes. Contra vero non dedecet, Deum, qui omnia intellectu complectitur, qui non defatigatur, qui, cum ex nulla re utilitatem capiat, ſingulas in proprio genere æque perfectas, ejuſdemque pretii videt, curare cuncta, quæ creavit. Et revera ſi modo Deum infinite ſapientem, & infinite magnum dedecet res creatas curare, ſeque earum ſervatorem, legislatorem, patrem communem oſtendere, cur Deum hunc initio temporis non dedecuit pari ratione, res has creare, ordinem phyſicum, & moralem ſtatuere, quo regerentur, conſerverentur, ac ad ſtatutum finem adducerentur? Si Deum non dedeceat, rerum exiſtentiam velle, cur quæ hanc exiſtentiam neceſſario conſequuntur velle eum dedeceat? Si Deum non dedecet, finem velle, cur Deum dedeceat media velle, a quibus neceſſario finis hic pendet? Si vero Deus ſpeciem curat, cur ſpeciei individua non curabit, ut perperam Deiſtæ nonnulli contendunt? Quid tandem ſpecies eſt, niſi omnium individuorum collectio? qua vero ratione magis de ſpecie, quam de individuis Deo cura ſit? Merito igitur Chriſtus univerſalem hanc providentiam diſcipulos docet, cum dicit: *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt; & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro? veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere, multis paſſeribus meliores eſtis vos.*

§. 107. Quoad alteram difficultatem reſpondemus generatim in primis in hoc Mundo plura eſſe debere, quæ humani ingenii imbe-

cillitatem ſuperent, quæque nobis impreſcrutabilia prorſus ſint, cum omnes ſupremi Conditoris ſapientiſſimi fines innoteſcere nobis non poſſint. Et revera ſi per Atheos, in primiſque per Auctorem *naturæ ſyſtematis* Natura, quæ nullum ſupremum Auctorem, Proviſoremque agnoſcat, incomprehenſibilis eſt, quanto magis per nos erit incomprehenſibilis, qui illam ab infinito ac incomprehenſibili Deo conditam eſſe, regique ſtatuimus?

Separatim vero reſpondemus.

1°. Falſum eſſe, quorumdam montium altitudines, intollerabiles zonæ torridæ ardores, immane zonarum frigidarum frigus, plantas lethiferas, noxia inſecta, voraces feras, aliaque hujuſmodi quæ in Tellure occurrunt, eſſe *veros defectus*, ſeu *imperfectiones*, quæ divinam providentiam deſtruant. Hæc enim omnia ſunt neceſſaria quædam veluti machinamenta, unde totius terreſtris Orbis perfectio exurgit. Hæc omnia ſuos fines habent, præclaroſque uſus. Verum quidem eſt, nonnulla vel imperfecta, vel noxia nobis videri, ſed talia non ſunt reſpectu Dei. Nos pretium decernimus rebus ex uſu, quem eas habere judicamus, ac ideo illa vel noxia, vel inutilia dicimus, quæ aut perniciosum, aut nullum uſum præſtare nobis videmus. At Deus videt omnem uſum ſive proximum, ſive remotum, quem unumquodque ens in hac univerſa rerum ſerie habet, & idcirco de uſu rerum judicat in relatione ad totum univerſum. Similes nos ſumus Mechanicæ imperitis, qui cum in machinis partes quaſdam videant, quarum uſum non percipiunt inutiles judicant, ac ſalvis machinis, abeſſe poſſe ſibi

fingunt. Sed longe aliter sentit machinarum auctor, cui operis sui adest idea distincta, qua partium illarum usus omnes, mutuamque relationem perspicit. Consulatur §. 45, in quo demonstravimus imperfectiones, & deformitates, quæ in hac Mundi machina videntur esse, non esse *reales*, sed *apparentes*.

2°. Tantum abesse, ut *affectus* divinæ providentiæ adversentur, quin magno providentiæ munere illis homines commoveantur. Affectus enim, ut jam docuimus §. 93. *Psychol.* sunt homini necessarii, sive illum solitarium spectes, sive in societate constitutum. Tolle amorem, & nemo amplius se conservabit. Tolle odium, & nunquam ab objectis, quæ tibi noxia videntur esse, abhorrebis. Tolle spem, ac nulla tibi futuri boni expectatio erit. Tolle omnem metum, ac nulla tibi impendentia mala evitabis. Langueret itaque sine affectuum commotione animus, ac nihil ageret, nihil moliretur. Ut autem affectibus ad utilitatem tantum commoveremur, non ad perniciem, non ad vitia fovenda, divina providentia rationis lumen liberaliter nobis concessit, quo illos semper rite moderari possumus. Si quid igitur in affectibus peccatum est, culpa nostra solum est, non affectuum, non providentiæ.

3°. Falsum tandem esse, mala, quibus homo premitur, cum divina providentia pugnare. Etenim mala *physica* ex §. 45. sunt divinæ bonitatis luculentissimum argumentum, ac summam providentiam demonstrant. Mala vero *moralia* ex §. 46. sunt libertatis abusus, qui salva providentia locum habere possunt.

CAPUT XIV., ET ULTIMUM.

De Providentia Dei in ordine morali supernaturali.

§. 108. Providentia Dei in ordine morali supernaturali importat, ut Deus dederit creaturis intellectu præditis media, quibus beatitudinem supernaturalem, æternam nempe felicitatem, quæ illis competit elevationis gratuitæ vi, consequi possent (§. 102.) Quod revera hæc media hominibus dederit Deus, ideoque provideat in ordine morali supernaturali, apertissime constat ex *revelatione*, quæ definiri potest *externa promulgatio* facta. *verbo Dei scripto, aut etiam tradito legis naturæ, & officiorum, quæ ab eadem lege proveniunt, quemadmodum etiam dogmatum cæterorum, quæ supernaturalem rerum ordinem respiciunt*. Cum igitur hæc tam utilis, tamque necessaria revelatio existat, (1) cumque ex ea elucescant

---

(1) „ L'esistenza della divina revelazione „ è un *fatto*, e questo fatto per mezzo di „ varj pubblici solenni e chiarissimi avvenimenti si manifesta. Noi diciamo, che il „ Mondo un tempo era tutto quasi Idolatra, e che per la predicazion del Vangelo l'Idolatria è cessata, e per lo Mondo „ tutto si è adorato Gesù Crocifisso. Noi „ diciamo, che i primi esecutori di questa „ grande rivoluzione furono alcuni poveri „ Pescatori, i quali annunziavano una Legge,

media ad æternam felicitatem consequendam necessaria, dubitari nequit, quin Deus provideat in ordine morali supernaturali.

„ quanto pura e illibata, altrettanto alle ree „ cupidigie nemica; e una Dottrina, quanto eccellente e sublime, altrettanto alla „ ragion superiore. Noi diciamo, che alla „ voce di cotesti Banditori si oppose un tempo ed il potere de' Cesari, ed il sapere de' „ Filosofi: ma che ciò nulla ostante più millioni di uomini d'ogni età, d'ogni condizione d'ogni sesso diedero loro ascolto; e „ non solo abbandonarono gli antichi riti, e „ santificarono i loro costumi, ma tra le più „ barbare carnificine per la Fede di quel „ Uom Crocifisso diedero il sangue. Questi „ son fatti, di cui noi abbiamo mallevadore „ tutto il genere umano di tutti i tempi, e „ di tutti i luoghi; non men di quello, che „ mallevadore ci sia stato, e ci sia della fondazione di Roma, delle guerre di Cesare, „ della scoperta di un nuovo Mondo. Il dubitare di questi fatti è pazzia: il pretendere che risaper non si possano mercè della publica voce e fama; ma che ricerchisi „ o l'averli veduti, o l'averli profondamente esaminati, è smentire, e sconvolgere „ (dice S. Agostino *de utilit. creden. cap. XII.*) „ tutta la umana società, che tutto dì appunto sopra di un somigliante *criterio* nelle quotidiane deliberazioni, ed intraprese „ senza esitazione alcuna si appoggia. Passiamo innanzi. Noi ponghiamo a capo di „ tutti cotesti maravigliosi avvenimenti la Risurrezione di Gesù Nazareno tre giorni

§. 109. Dixi *tam utilis*, *tamque necessaria revelatio*, ut errorem detestarer eorum, qui divinam revelationem utilem, ac necessariam

---

„ dopo, ch'egli fu fitto in Croce, e sepol-
„ to. Ma di cotesta Resurrezione, che fu il
„ massimo de' miracoli, quale argomento re-
„ chiamo noi? La serie stessa de' fatti testè
„ narrati; cioè la predicazione degli Aposto-
„ li, la distruzione dell'Idolatria, la con-
„ versione delle genti, il testimonio de' mar-
„ tiri, e la persuasione universale e costante
„ di diciotto secoli: niuno de' quali *fatti*,
„ se Cristo non fosse risorto, sarebbe cer-
„ tamente succeduto giammai. Che dubita-
„ re? Se Cristo non risorgea il terzo gior-
„ no, siccome avea promesso, e come mai
„ gli Apostoli andati sarebbero per il Mon-
„ do a predicare la legge, ed a spargere su-
„ dori, e sangue per un'uomo riconosciuto
„ per impostore? Ma se gli Apostoli non
„ predicavano, nè si abbatteva l'Idolatria,
„ nè la Religion Cristiana si propagava. Se
„ poi la Religion Cristiana non propagavasi;
„ e come mai dal sol levante all'occaso tan-
„ te migliaja di martiri data averebber la vi-
„ ta per attestarla? Se ne i Martiri, nè gli
„ Apostoli, nè la Religion Cristiana stati al
„ Mondo ci fossero, come noi saremmo Cri-
„ stiani? Come il nome, e la fama di tal
„ Religione occuperebbe la terra? Or tutti
„ cotesti *fatti* e ci furono, e ci sono, e noi
„ stessi ne siamo cogli occhj medesimi mal-
„ levadori. Dunque la Risurrezione di Cri-
„ sto, da cui tutti cotesti *fatti* dipendono,
„ è indubita. Ma così è, che se Cristo è

esse negant, qui Deistæ appellantur, quique hoc tempore fere sunt infiniti. Nam post antiquos Revelationis hostes Celsum, Lucianum, Porphyrium, Julianum Imperatorem secuti sunt Tyndalus, Collinsius, Woolston, auctores *Literarum Judaicarum*, *ac de Religione homini essentiali*, auctores *libri de moribus*, *Tractatus de ratione humana*, *Examinis Religionis*, *Religionis illustrium fœminarum*, *cœlibatus philosophici*, *Telliamedes*, *Voltairius*, *Elvetius*, *Russojus*, aliique, qui supra modum humanæ mentis vim, potestatemque extollentes sacrilegis linguis affirmant, Deum in naturæ simplicitate, prout naturalis ratio unumquemque docet, esse adorandum, nullamque revelationem in colendo Deo, & in hominum vera procuranda felicitate requiri.

§. 110. Cum hic error perniciosissimus sit, & divinam providentiam in ordine supernaturali omnino destruat, operæ pretium erit, illum hic confutare. Itaque 1°. utilis, ac necessaria est revelatio, ut generatim homines ideam Dei sibi comparent. „ Ad ea etiam „ (in-

---

„ risorto (siccome avea egli stesso promesso) „ egli fu un Legislatore verace; e fu, qual „ in fatti dicevasi, figlio di Dio. Dunque la „ Rivelazione Cristiana da lui apportata, e „ pubblicata, ella è vera; e come tale, ella „ è degna, che da un uom ragionevole sia „ abbracciata. Questa è una vera dimostra„ zione, ma dimostrazione appoggiata a *fat„ ti* solenni, manifestissimi, e dirò così uni„ versali. P. Valsecchius *La Religion Vinci„ trice* P. Sec. pag. 217.

„ (inquit D. Thomas 1. p. q. 1. a. 1.) quæ
„ de Deo ratione humana investigari pos-
„ sunt, necessarium fuit, hominem instrui
„ revelatione divina, quia veritas de Deo
„ per rationem investigata, a paucis & post
„ longum tempus, & cum admixtione mul-
„ torum errorum homini perveniret, a cujus
„ tamen veritatis cognitione dependet tota
„ hominis salus, quæ a Deo est „ Sine re-
velatione „ paucis hominibus (prosequitur S.
„ Doctor. 1. *Cont. Gent. cap.* 4.) Dei cogni-
„ tio inesset. A fructu enim studiosæ inqui-
„ sitionis, qui est veritatis inventio, plurimi
„ impediuntur tribus de causis. Quidam si-
„ quidem propter complexionis indispositio-
„ nem, ex qua multi naturaliter sunt indi-
„ spositi ad sciendum: unde nullo studio ad
„ hoc pertingere possent, ut summum gra-
„ dum humanæ cognitionis attingerent, qui
„ in cognoscendo Deum consistit. Quidam
„ vero impediuntur necessitate rei familiaris;
„ oportet enim esse inter homines aliquos,
„ qui temporalibus administrandis insistant,
„ qui tantum tempus in otio contemplativæ
„ inquisitionis non possent expendere, ut ad
„ summum fastigium humanæ inquisitionis
„ pertingerent, scilicet Dei cognitionem.
„ Quidam autem impediuntur pigritia: ad
„ cognitionem enim eorum, quæ de Deo ra-
„ tio investigare potest, multa præcognosce-
„ re oportet, cum fere totius Philosophiæ
„ consideratio ad Dei cognitionem ordine-
„ tur.... Sic ergo non nisi cum magno la-
„ bore studii ad prædictæ veritatis inquisi-
„ tionem perveniri potest; quem quidem la-
„ borem pauci subire volunt.... Secundum
„ inconveniens est, quod illi, qui ad prædi-
„ ctæ veritatis cognitionem, vel inventio-

„ nem pervenirent, vix post longum tem-
„ pus pertingerent: tum propter hujusmodi
„ veritatis profunditatem, ad quam capien-
„ dam per viam rationis, nonnisi post lon-
„ gum exercitium intellectus humanus ido-
„ neus invenitur: tum etiam propter multa,
„ quæ præexiguntur, ut dictum est: tum pro-
„ pter hoc, quod tempore juventutis, dum
„ diversis motibus passionum anima fluctuat,
„ non est apta ad tam altæ veritatis cogni-
„ tionem.... Remaneret igitur humanum ge-
„ nus, si sola rationis via ad Deum cogno-
„ scendum pateret, in maximis ignorantiæ
„ tenebris, cum Dei cognitio, quæ homines
„ maxime perfectos, & bonos facit, non nisi
„ quibusdam paucis, & his paucis etiam post
„ temporis longitudinem proveniret. Ter-
„ tium inconveniens est, quod investigatio-
„ ni rationis humanæ plerumque falsitas ad-
„ miscetur propter debilitatem intellectus no-
„ stri in judicando, & phantasmatum ad-
„ mixtionem. Et ideo apud multos in dubi-
„ tationem remanerent ea, quæ sunt veris-
„ sime etiam demonstrata, dum vim demon-
„ strationis ignorant, & præcipue cum vi-
„ deant a diversis, qui sapientes dicuntur,
„ diversa doceri. Inter multa etiam vera,
„ quæ demonstrantur, immiscetur aliquando
„ aliquid falsum, quod non demonstratur,
„ sed aliqua probabili vel sophistica ratione
„ asseritur .... Et ideo oportuit per viam
„ Fidei, fixa certitudine, ipsam veritatem
„ de rebus divinis hominibus exhibere. Salu-
„ briter ergo divina providit clementia, ut
„ etiam quæ ratio investigare potest, fide
„ tenenda præciperet, ut sic omnes de fa-
„ cili possent divinæ cognitionis participes
„ esse „.

§. 111. 2°. Utilis, ac necessaria est revelatio quoad morum honestatem, rectamque vitæ institutionem. Etenim, etsi solo naturali lumine universalissima legis naturalis præcepta homini sua ratione recte utenti ita comperta sint, ut deleri nequaquam possint; tamen cum multæ peculiares conclusiones ad vitam recte dirigendam ex iisdem præceptis deducendæ non sine multiplici ratiocinationum nexu colligantur, utpote quæ omnes ab universalissimis principiis eodem non distant intervallo, sed aliæ sunt propiores, remotiores aliæ, sine revelatione rudes, atque illiterati homines peculiares has conclusiones non perciperent, atque generatim concupiscentia, cupiditate, inordinatisque animi affectibus illas homines corrumperent. Hanc ratiocinationem fuse exponit idem S. Thomas 1. 2. *quæst*. 94. a. 6. ,, Ad legem naturalem ,, pertinent primo quædam præcepta universalissima, quæ sunt omnibus nota. Secundaria autem quædam præcepta magis propia, quæ sunt conclusiones propinquæ principiis. Quantum ergo ad illa principia communia lex naturalis nullo modo potest a cordibus hominum deleri in universali, deletur autem in particulari operabili, secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem. Quantum vero ad alia præcepta secundaria, potest lex naturalis deleri de cordibus hominum vel propter malas persuasiones eo modo etiam, quo in speculativis errores contingunt circa conclusiones necessarias, vel etiam propter pravas consuetudines, & habitus corruptos. ,, Tristissima experientia hæc confirmat. Ex hi-

„ nem pervenirent, vix post longum tem„ pus pertingerent: tum propter hujusmodi „ veritatis profunditatem, ad quam capien„ dam per viam rationis, nonnisi post lon„ gum exercitium intellectus humanus ido„ neus invenitur: tum etiam propter multa, „ quæ præexiguntur, ut dictum est: tum pro„ pter hoc, quod tempore juventutis, dum „ diversis motibus passionum anima fluctuat, „ non est apta ad tam altæ veritatis cogni„ tionem.... Remaneret igitur humanum ge„ nus, si sola rationis via ad Deum cogno„ scendum pateret, in maximis ignorantiæ „ tenebris, cum Dei cognitio, quæ homines „ maxime perfectos, & bonos facit, non nisi „ quibusdam paucis, & his paucis etiam post „ temporis longitudinem proveniret. Ter„ tium inconveniens est, quod investigatio„ ni rationis humanæ plerumque falsitas ad„ miscetur propter debilitatem intellectus no„ stri in judicando, & phantasmatum ad„ mixtionem. Et ideo apud multos in dubi„ tationem remanerent ea, quæ sunt veris„ sime etiam demonstrata, dum vim demon„ strationis ignorant, & præcipue cum vi„ deant a diversis, qui sapientes dicuntur, „ diversa doceri. Inter multa etiam vera, „ quæ demonstrantur, immiscetur aliquando „ aliquid falsum, quod non demonstratur, „ sed aliqua probabili vel sophistica ratione „ asseritur .... Et ideo oportuit per viam „ Fidei, fixa certitudine, ipsam veritatem „ de rebus divinis hominibus exhibere. Salu„ briter ergo divina providit clementia, ut „ etiam quæ ratio investigare potest, fide „ tenenda præciperet, ut sic omnes de fa„ cili possent divinæ cognitionis participes „ esse „.

§. 111. 2°. Utilis, ac necessaria est revelatio quoad morum honestatem, rectamque vitæ institutionem. Etenim, etsi solo naturali lumine universalissima legis naturalis præcepta homini sua ratione recte utenti ita comperta sint, ut deleri nequaquam possint; tamen cum multæ peculiares conclusiones ad vitam recte dirigendam ex iisdem præceptis deducendæ non sine multiplici ratiocinationum nexu colligantur, utpote quæ omnes ab universalissimis principiis eodem non distant intervallo, sed aliæ sunt propiores, remotiores aliæ, sine revelatione rudes, atque illiterati homines peculiares has conclusiones non perciperent, atque generatim concupiscentia, cupiditate, inordinatisque animi affectibus illas homines corrumperent. Hanc ratiocinationem fuse exponit idem S. Thomas 1. 2. *quæst.* 94. a. 6. „ Ad legem naturalem „ pertinent primo quædam præcepta universalissima, quæ sunt omnibus nota. Secundaria autem quædam præcepta magis propia, quæ sunt conclusiones propinquæ principiis. Quantum ergo ad illa principia communia lex naturalis nullo modo potest a „ cordibus hominum deleri in universali, deletur autem in particulari operabili, secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile „ propter concupiscentiam, vel aliquam aliam „ passionem. Quantum vero ad alia præcepta secundaria, potest lex naturalis deleri „ de cordibus hominum vel propter malas „ persuasiones eo modo etiam, quo in speculativis errores contingunt circa conclusiones necessarias, vel etiam propter pravas consuetudines, & habitus corruptos. „ Tristissima experientia hæc confirmat. Ex hi-

ſtoriis enim conſtat, & ab ipſo Baylio conceditur, quamplurimas, ac diverſas, ac longe inter ſe diſſitas nationes in uxorum communione, aliiſque turpiſſimis ſceleribus, a quibus natura ſummopere abhorret, nihil mali agnoviſſe, furtum, ac homicidium licita putaſſe, imo pietatis opus exiſtimaſſe, parentes ſenio confectos enecare. Tanta eſt ſine revelatione hominum cæcitas, ut ipſas e corde deleat concluſiones ex lege naturali proxime deductas. Neque barbaræ tantum gentes, rudeſque homines in doctrina morum ſine revelatione errarunt, ſed eadem fere mentis caligine laborarunt acutiſſimi, doctiſſimique homines revelationis auxilio deſtituti. Ex hiſtoria philoſophica n°. XXIV. conſtat, quomodo de moribus philoſophati ſint Cyrenaici, ac Cynici; ac in hiſtoria verſati fatentur, philoſophos, qui recte de moribus ſcripſerunt, id non præſtitiſſe proprii ingenii viribus, ſed acquiſito revelationis lumine.

§. 112. 3°. utilis, ac neceſſaria eſt revelatio in iis, quæ ad cultum pertinent. Cum Deus ens præſtantiſſimum perfectiſſimumque ſit, ac ſummum jus, dominiumque in omnia habeat, evidenter patet, tanta nos illum obſervantia, & veneratione proſequi debere, quanta ſupremo rerum omnium Domino, ac amantiſſimo conſervatori debeatur. Hinc amoris, timoris, fidei, ac ſpei obſequium neceſſarium. Hinc Dei invocatio, preceſque. Hinc gratiæ referendæ; quæ omnia ad internum cultum attinent. Sed non ſolum cultu interno, ſed etiam externo Deus eſt colendus, omnibus enim noſtris facultatibus ſupremum Dei dominium teſtari debemus, omnes noſtras actiones facultatumque noſtrarum uſum ad divinæ gloriæ manifeſtationem

referre tenemur, ac proinde non sola anima, sed integer homo Deum colere debet. Jam vero si hæc omnia sint necessaria, quis solo rationis lumine sine revelatione ea absque erroris periculo noscat? Quis quæ debeat esse in Deum fides, quæ spes, quæ caritas, quæ demum gratiarum actio intelligat sine revelatione? Si oculos in nationes revelatione destitutas conjiciamus, non solum observabimus eas Deo præstitisse cultus superstitiosos, & phanaticos, sed etiam nefandos, atque inhumanos, ita ut cum impiissimo Lucretio exclamemus necesse sit, *tantum Relligio potuit suadere malorum*.

§. 113. 4°. Utilis, ac necessaria est revelatio in iis, quæ supremæ felicitatis consecutionem spectant. Nam ad supremam felicitatem consequendam, quam Deus supernaturalis providentiæ munere hominibus largitus est, oportet 1°. ut homines agnoscant medium expiandi peccata, Deoque satisfaciendi, ac 2°. iis viribus donentur, quæ necessariæ sunt ad impugnandos pravos affectus, ac ad vincenda vitia naturæ humanæ, quæ duo revelationi omnino debentur. Nam sine revelatione ratio ignorat medium expiandi peccata, Deoque satisfaciendi, & præcepta moralia, quæ ratio suggerit de impugnandis pravis affectibus, ac vitiis, sine revelatione non sufficiunt ad hauriendas vires necessarias, cum semper homini contingat illud Medeæ: *Video meliora, proboque, deteriora sequor*.

§. 114. 5°. Tandem revelationis utilitatem, ac necessitatem demonstrat ipsa religionis divinæ notio „ Religionis objectum „ (inquit P. Jacquier *Institut. Metaph.* pag. „ 313.) principium, & finis est ipse Deus,

„ nempe ens infinitum, menti limitatæ incomprehensibile. Religio igitur multa continere debet *supra rationem*, seu mysteria rationi omnino impervia, quæ ad Theologiam naturalem non pertinent. Divina attributa, illorumque summa consensio altissimum sunt mysterium nullo rationis naturalis lumine cognoscendum. Non solum Deus est rerum omnium creator, atque conservator; sed præter duo supremi auctoris beneficia, innotescere etiam debuit, an Deus pro sua infinita bonitate aliis nos cumulaverit gratiis, quæ ad salutem æternam referuntur; ignorare non debuit homo, quid post hanc mortalem vitam sperandum bonis, quid timendum improbis. Dogma religionis primarium, quo veluti fundamento nititur, est ipsa animæ immortalitas quod quidem dogma licet in Theologia naturali dimostratum, in dubium vocarunt aliqui, negarunt alii; præmiorum, pœnarumque æternitas aliud est spei, tremorisque plenum religionis decretum, cujus quidem veritatem divina auctoritate hominibus certo cognitam esse oportebat „.

§. 115. Hæc quinque argumenta, quæ revelationis utilitatem, & necessitatem præclare ostendunt, eludere conantur Deistæ. Ita enim ratiocinantur: 1°. vel utilis ac necessaria dicenda non est revelatio, ut generatim homines Deum agnoscant, vel falsum est, omnes gentes, etsi barbaræ immanesque fuerint, semper Deum agnovisse, illumque, ut Mundi creatorem, provisoremque coluisse. Sed ex historia constat omnes gentes, quamvis revelationis lumine destitutæ fuerint, semper Deum agnovisse, illumque ut Mundi creatorem, provisoremque coluisse. Ergo uti-

lis, ac necessaria non est revelatio, ut generatim homines Deum agnoscant. 2°. Quis ignorat, quam sublimes, præclaræque fuerint antiquorum Philosophorum doctrinæ quoad Deum, morumque probitatem, etsi nulla eis affulserit revelatio? Cicero & Epitectus luculentissime exponunt prima principia, quibus omnis Religio innititur. Socrates, & Plato mirifice differunt de Deo, de animi natura, de altera vita. Philosophia moralis Tullii, Imperatoris Antonini, Plutarchi, Senecæ, Cebetis, ac fere omnium Stoicorum mirabilis omnino est. Politicam, & Ethicam Aristotelis etiam nunc admiramur, laudamusque. Nullo igitur modo dici debet utilis, ac necessaria revelatio quoad Dei cognitionem, quoad morum honestatem, rectamque vitæ institutionem. 3°. Etsi ratio non determinet, una potius, quam altera ratione Deum esse colendum; attamen ex una parte ratio docet, Deum colendum esse, ex altera vero omnes cultus externi, utcumque inter se differant, Deo æque grati sunt, ac eadem ratione, qua contentus est, ut in Romana Ecclesia quædam communitates religiosæ matutinum recitent dimidia nocte, quædam mane, quædam illud concinant, quædam tantum legant, ita etiam contentus est, ut in diversis religionibus diversi cultus externi adhibeantur (1). Nullo igitur modo dicenda

(1) Peut-être Dieu n'est-il pas plus mécontent de la diversité des hommages qu'on lui rend dans les différentes Religions, qu'il ne l'est de ce que dans l'Eglise Romaine

est utilis, ac necessaria revelatio in iis, quæ ad cultum pertinent. 4°. Potest homo sine ulla revelatione agnoscere medium, quo sibi Deum conciliet. Uti enim observant Tyndalus, (1), & Lockius (2) ex idea Dei infinita bonitate præditi, quam unusquisque rationis lumine sibi comparat, statim consequitur, hoc medium in hoc situm esse, ut nostra peccata agnoscamus, abhorreamus, de iis veniam a Deo petamus, ac firmiter nobis præponamus inire vitam juxta rationis regulas, legesque honestatis. Utilis ergo, ac necessaria dicenda non est revelatio in iis, quæ felicitatem spectant. 5°. Tandem *Religio homini essentialis debet esse ejus captui accomodata, ac naturales hominis facultates non destruere, sed exercere, sed magis magisque evolvere debet*. (3) Ergo ex Religionis notione non consequitur utilem, ac necessariam esse revolutionem, quæ mysteria contineat, quæ certe hominum captui accommodata non sunt, sed hominis facultates destruunt.

§. 116. Singulas has oppositiones separatim expendamus. Prima laborat falso supposito; supponit enim gentes, etsi barbaræ, imma-

---

quelques Religieux recitent les matines à minuit, & d'autres le matin; de ce que quelques-uns les chantent, & d'autres le psalmodient. *Auctor Libri* de Moribus *Part.* 1. *Chap.* 2. *art.* 2.

(2) La Relig. Crist. tanto antica, quanto la creazione pag. 359.

(2) Le Cristianism. Raisonabl. chap. 14.

(3) Auctor libri *de religione homini essentiali* Lett. II., XIII., & XV.

nesque fuerint, Deum agnovisse, illumque ut Mundi creatorem, provisoremque coluisse independenter a revelatione, quod est omnino falsum. Etenim si omnes gentes semper consenserunt, existere Deum creatorem, provisoremque Universi, ut nos etiam docuimus in primo capite primi Libri Theologiæ naturalis; id ex eo repetendum, quod a primo homine, nempe ab Adamo de patribus in filios traditionis ope semper, & ubique hæc doctrina delata fuit. Porro Adamo revelata fuerunt a Deo, quæ ad Theologiam naturalem spectant. Igitur a revelationis beneficio originarie repetendus est omnium hominum consensus de Deo creatore, ac provisore Universi. Quia tamen gentes immediata revelatione non illustrabantur, hinc innumeris fabulis Dei existentiam fœdarunt, & *cum admixtione multorum errorum*, ut loquitur D. Thomas, Dei naturam explicarunt. Cæterum nos non negamus, ratione naturali detegi, & explicari absolute posse, quæ ad Theologiam naturalem pertinent. Imo asserimus, eorum consensionem cum primis ratiocinii principiis causam fuisse, cur gentes in his semper consenserint. Sed præter quam quod non omnes homines ratiocinorum vim percipere possunt, præsertim cum composita & abstracta sunt (ut fert prima pars demonstrationis D. Thomæ, quam § 110. attulimus), fateamur oportet, notitiam, & certitudinem, quam de Deo, divinisque attributis revelationis ope acquirimus, esse veluti facem, quæ nobis monstrat iter, impeditque, ne in nostris ratiociniis aberremus. Cum jam usque ab incunabulis plura theoremata ad Deum spectantia didicerimus, hæc, cum adulta fit ratio, nobis viam præbent, qua facile & tu-

to ad determinanda divina attributa ascendamus, quod certe non contingeret, si revelationis face illustrati non fuissemus. Hinc meritó Lokius *Le Christianisme Raisonnable chap.* 14. ajebat „ Celui qui voyage présentement par des grands chemins, s'applaudit sur la vigueur de ses jambes, qui l'ont „ porté si loin dans un si petit espace de „ tems: il attribue tout la cause de sa diligence aux forces de son tempérament, ne „ considérant presque pas, combien il est „ rédévable au travail de ceux, qui ont coupé les bois, seché les marais, bati „ de ponts, & rendu les chemins praticables, sans quoi il se feroit extremement „ fatigué, & n'auroit avancé que fort peu. „ Il y a quantité des choses, dont le creance nous a été inculquée dès le berceau, de „ sorte que les idées nous en étant devenûes familieres, & pour ainsi dire, naturelles sous l'Evangile, nous le régardons „ comme des vérités incontestables, qu'il „ est aisé de voir, & de prouver avec la „ derniere evidence, sans considérer que „ nous aurions pû en douter, ou les ignorer „ pendant long-temps, si la Révélation n'en „ eut rien dit. Ainsi plusieurs sont rédévables à la Révélation sans s'en appercevoir. „

§. 117. In secunda oppositione Deistæ 1°. falso quoque supponunt, antiquos Philosophos ea, quæ de Deo, ac de moribus instituendis recte scripserunt, a divina revelatione non hausisse. Omnes enim antiqui philosophi nati, ac educati sunt in sinu revelationis, quæ traditionis ope semper & ubique regnavit, quamvis inter gentes corrupta & adulterata fuerit. 2°. Falso etiam supponunt,

ea, quæ de Deo, ac de moribus instituendis scripserunt Cicero, Epictetus, Socrates, Plato, Seneca, aliique, sufficere ad Deum cognoscendum, ad morum honestatem, ad vitam recte instituendam. Et quidem quænam varietas opinionum, quæ fere omnes falsæ, ac monstruosæ sunt, non reperitur in Ciceronis operibus, ac præcipue in libris *de nat. Deor.* quoad naturam Dei, & divina attributa, quoad originem & regimen rerum, quoad essentiam & facultates animæ humanæ, quoad jus, quoad officia, quoad religionem, ac præsertim ultimum hominis finem? Quam dubitationem in universam morum doctrinam non inducit Socrates, & principio illo universali, nempe, *se hoc unum scire, se nihil scire*, & verbis, quibus morti proximus amicos est allocutus, quibusque clare ostendit, se nescisse, an esset, necne immortalis, & sacrilega illa simulatione, qua cum Platone docuit, ut testatur Zenophon (1), obtulitque sacrificia Diis inferioribus, dæmonibus, ac heroibus? Quantum non fædavit universam moralem Philosophiam divinus Plato, dum uxorum communionem, amoresque naturæ contrarios defendit? Omnes autem hi a Deistis commemorati philosophi veri cultus ideam ignorarunt (2), nec ullus unquam

(1) *Memorabilium Socratis Lib. I.*

(2) De cultu Cicero II. *de Legib. cap.* 10. scribit: *A patribus acceptos Deos placet coli*; Epictetus vero *cap.* 38. *Litandum autem & sacrificandum, & offerendæ primitiæ sunt unicuique ritu patrio &c.*

veræ felicitatis imaginem vidit, expofuitque. Quod quidem mirum videri non debet. Pendent enim hæc omnia ab iis luminibus, quæ humani ingenii imbecillitatem fuperant, quæque fupernaturalia effe dicuntur. Hinc minus appofite, ne dicam falfo putavit Bonnetus, decem fortaffe numero Socrates, qui fibi invicem vivendo fuccederent, integram, quæ a Chrifto fervatore declarata eft, morum difciplinam poffe cognofcere.

§. 118. Dum Auctor libri *de moribus* in tertia oppofitione contendit, Deum indifferentem effe quoad diverfos cultus externos, qui in diverfis religionibus adhibentur, turpiter hallucinatur. Et revera poteft ne Deus indifferens effe quoad diverfas, contrarias, falfafque de ipfo fententias, feu quoad contradictorios cultus internos, quos in diverfis religionibus homines illi exhibent? Minime quidem, cum hæc indifferentia deftruat fapientiam, fanctitatem, providentiam, ac juftitiam Dei. Sed cultus externus nihil aliud eft, nifi externa manifeftatio cultus interni, a quo originem ducit, ac proinde juftus eft, fi cultus internus eft juftus, fuperftitiofus, fi internus talis fit. Igitur Deus indifferens effe nequit quoad diverfos cultus externos. Nec quidquam probat paritas, quam impudenter affert. Communitates enim religiofæ vel dimidia nocte vel mane matutinum recitent, vel illud concinant, vel legant, omnes eofdem animi fenfus Deo patefaciunt, cum hi cultus externi iidem fint, aut fere nihil differant. Contrà vero homines in diverfis religionibus, dum cultibus externis toto cœlo inter fe difcrepantibus utuntur, diverfos prorus fenfus exprimunt. Cum igitur Deus abominetur fenfus, qui illi injuriam inferunt,

non poteſt non abominari illos cultus externos, quibus hi ſenſus confirmantur ac manifeſti fiunt. Cultus igitur externus talis potius, quam talis ſit oportet, unde utilis, ac neceſſaria eſt revelatio, ut hic cultus determinetur.

§. 119. Quoad quartam oppoſitionem falſo Tyndalus, & Lockius aſſerunt, rationem naturalem tuto edocere ex hominis pœnitentia neceſſario peccatorum veniam conſequi. Quænam enim eſt neceſſaria connexio inter hominis pœnitentiam, veniamque a Deo concedendam? Venia concedenda pendet a libera Dei voluntate. Igitur ſi Deus non revelavit, ſe eſſe veniam conceſſurum, dum noſtra peccata abhorremus, ratio naturalis detegere nequit, an reapſe Deus illam conceſſurus ſit. Et revera quamvis ratio naturalis ex una parte ſuadeat ea ratione, qua pater filio, dominus ſervo parcit, dum vel filius, vel ſervus proprium peccatum agnoſcit, deque eo veniam petit, ſic *a fortiori* Deum infinite bonum eſſe veniam conceſſurum, dum propria peccata abhorremus, deque iis veniam petimus, ex altera tamen parte non minus ſuadet, nullam dari proportionem inter injuriam, quam nos Deo inferimus, dum peccamus, & injuriam, quam vel filius vel ſervus patri, aut domino infert, cum injuria creſcat, prout creſcit excellentia objecti, cui infertur, ac proinde fiat infinita, dum Deum infinitum offendimus; non minus ſuadet, Deum infinite bonum eſſe ſimul ſapientem, ſanctum, ac juſtum, ac proinde incertum eſſe, quouſque pertingere debeat Dei bonitas, dum quis peccat; non minus ſuadet, Deum infinite bonum eſſe ſimul gubernatorem ſupremum juſtumque ordinis

custodem, ac proide incertum, an impunitos relinquere velit ordinis perturbarores, seu legum suarum violatores, iisque veniam concedere, etsi pluries, & pluries hujusmodi leges violaverint. Ratio igitur naturalis, sine revelatione fluctuat, neque, ut Tyndalus & Lockius asserunt, certo agnoscit medium, quo homo Deum sibi concihet. Sed demus Tyndalo & Lockio ad liberalitatem, rationem naturalem tuto docere, Deum esse veniam concessurum, dum hominem pœnitet suorum peccatorum. Petimus, in quonam sita esse debeat hominis pœnitentia. Respondebunt 1°. in vera peccati execratione, ac 2°. in constanti proposito novam ineundi vitam juxta leges, quas Deus hominibus præscripsit. Sed quis sperare poterit, se acturum esse pœnitentiam hujusmodi sine revelatione, nempe, absque eo quod Deus revelationis ope illi suppeditet vires, quas hujusmodi pœnitentia expustulat? Si oculos ad omnes ethnicos convertamus, si sensum intimum consulamus, fateamur necesse est, somnium esse, esse delirium sperare, homines propriis naturæ viribus acturos esse pœnitentiam hujusmodi.

§. 120. Ultimam tandem oppositionem, quam affert Auctor libri *de religione homini essentiali* jam sibi proposuerat, ac diluerat Angelicus Doctor *Cont. Gent. Lib.* 1. *cap.* 5. Ita enim ibi loquitur „ Videtur autem quibusdam „ fortasse, non debere homini ad credendum „ proponi illa, quæ ratione investigare non „ sufficit, cum divina sapientia unicuique se„ cundum modum suæ naturæ provideat. Et „ ideo demonstrandum est, quod necessarium „ sit homini divinitus credenda proponi et„ iam illa, quæ rationem excedunt. Nullus

„ enim desiderio & studio in aliquid tendit,
„ nisi sit ei præcognitum. Quia ergo ad al-
„ tius bonum, quam experiri in præsenti vi-
„ ta possit humana fragilitas, homines per
„ divinam providentiam ordinantur, ut in se-
„ quentibus investigabitur; oportuit mentem
„ evocari in aliquid altius, quam ratio nostra
„ in præsenti possit pertingere, ut sic disce-
„ ret aliquid desiderare, & studio tendere in
„ aliquid, quod totum statum præsentis vitæ
„ excedit. Et hoc præcipue christianæ reli-
„ gioni competit, quæ singulariter bona spi-
„ ritualia & æterna promittit: unde & in ea
„ plurima humanum sensum excedentia pro-
„ mittuntur „. Neque verum est mysteria naturales hominis facultates destruere, ut impudenter asserit adversarius. Ea enim duntaxat naturales hominum facultates destruunt, quæ rationi adversantur. Porro mysteria non sunt *contra rationem*, sed *supra rationem*, ac, si ita loqui fas est, idem præstant ac microscopium, ac telescopium, nempe ad eorum cognitionem nos ducunt, quæ imperfecto rationis lumine nunquam ab homine percipi potuissent; quod quidem non est destruere humanam rationem, sed perficere, ac magis, magisque evolvere. Non posse mysteria rationi adversari ita demonstrat idem S. Thomas Lib. I. *Cont. Gent. cap.* 7. „ Ea, quæ natu-
„ raliter rationi sunt insita, verissima esse
„ constat, in tantum ut nec ea esse falsa sit
„ possibile cogitare; nec id quod fide tene-
„ tur, cum tam evidenter divinitus confir-
„ matum sit, fas est credere, esse falsum.
„ Quia igitur solum falsum vero contra-
„ rium est, ut ex eorum definitionibus in-
„ spectis manifeste apparet, impossibile est
„ illis principiis, quæ ratio naturaliter cogno-

„ scit, prædictam veritatem fidei contrariam
„ esse.

„ Item. Illud idem, quod inducitur in a-
„ nimam discipuli a docente, doctoris scien-
„ tiam continet, nisi doceat ficte, quod de
„ Deo nefas est dicere. Principiorum autem
„ naturaliter notorum cognitio nobis divini-
„ tus est indita; cum ipse Deus sit auctor
„ nostræ naturæ. Hæc ergo principia etiam
„ divina sapientia continet. Quidquid igitur
„ principiis hujusmodi contrarium est, est
„ divinæ sapientiæ contrarium: non igitur a
„ Deo esse potest. Ea igitur, quæ ex Reve-
„ latione divina per fidem tenentur, non pos-
„ sunt naturali cognitioni esse contraria. „

§. 121. Ita demonstrata utilitate, ac necessitate revelationis, determinandi remanent, præcipui veræ revelationis characteres. Itaque 1°. *vera revelatio aliquid, in quo cæcutit ratio naturalis, continere debet*: continere enim debet medium expiandi peccata, Deoque satisfaciendi, simulque debet ostendere, unde vires hauriamus ad vitia debellanda, quæ quidem duo ratio naturalis ignorat (§. 113.) Ex quo necessario conficitur, non esse veram revelationem, quæ tota id unice inculcat, quod jam ratio naturalis agnoscit. 2°. *vera revelatio nihil debet continere, quod non sit verum, sanctum, Deoque dignum*, cum ipsa Deum auctorem habeat. Hinc excludere debet *dictionem* vel ludricam vel ambiguam, vel plus artis & vanitatis, quam simplicitatis & gravitatis præseferentem; debet excludere historias falsas, & absurdas; miracula fabulosa, & minus nenecessaria; prophetias eventu haud confirmatas; doctrinas morales rectæ rationi repugnantes, vel humanæ societati noxias; cultus ac ritus inanes; ac tandem contradictiones ma-

nifestas & nullo modo conciliabiles. 3°. *vera revelatio debet esse antiquissima, quin ipsi humano generi coæva.* Cum enim ab ipsa generis humani origine homines vera revelatione indiguerint, providentia in ordine supernaturali exspostulabat, ut statim revelationis beneficio uterentur. 4°. *vera revelatio debet esse ad nostra usque tempora conservata, ut nec temporis, nec hominum injuriis quidquam ceperit detrimenti*, cum eadem divina providentia id omnino requirat.

§. 122. Ex quibus characteribus evidenter patet 1°. *Oracula*, quibus Gentiles delusi sunt, veræ revelationis nomen haud mereri; hæc enim oracula nec suppleverunt id, quod rationi deest, nec commendarunt aliquod medium propitiandi Deum, quod non sit absurdissimum, veluti ludi, certamina, quin imolationes hominum ipsis gentilibus abominandas. Pariter hæc oracula nihil fere sine ambiguitate protulerunt, nihil sanctum, nihil pium, nihil quod sacerdotum fraudes non manifesto prodiderit. 2°. *Alcoranum*, quo deluduntur Mahumedani, veram revelationem non continere. In illo enim non solum est id, quod rectam rationem suppleat, sed est id, quod illam destruit. In illo nullum aliud habetur medium propitiandi Deum, quam afflictiones corporis, jejunia, lavacra, & peregrinationes Meccanæ. In illo nihil est Deo dignum; cum multa reperiantur plagia, insulsæ fabulæ, innumera futilia. Illud denique cum ipso humano genere initium non habuit, cum ejus novitatem & ipsi Mahumedani fateantur. 3°. Nec veram revelationem contineri in *Talmude Judeorum*; in eo enim fere nihil occurrit præter subtiles & superstitiosas de ritibus & jure Judaico quæstiones. In eo

nullum sufficiens medium propitiandi Deum indicatur In eo sunt multæ insulsæ fabulæ intermixtæ. Denique ejusmodi codex excisis jam pridem Hierosolimis, natus est. 4°. tandem Catholicorum revelationem esse veram revelationem. Primo enim hæc revelatio abunde supplet, ubi cæcutit ratio. Ostendit enim verum medium expiandi peccata, Deoque satisfaciendi, simulque docet medium, quo vires hauriantur ad debellanda vitia, ad pravas inclinationes vincendas. Secundo hæc revelatio nihil habet, quod non sit Deo dignum, statimque Deum auctorem non prodat. Eloqutio S. Scripturæ ubique simplex, & tamen cum summa εμγασει conjuncta: historiæ series accuratior quam usquam: vaticinia de rebus maximis verissima: præcepta vivendi sanctissima, & argumentis fulcita tam insignibus, ut cor ipsum fodiant, & virtutem suam quotidie ostendant. Tertio hæc revelatio antiquissima est, initium enim habuit in Paradiso terrestri, ac per multa sæcula sapientissime continuata fuit, donec numeris suis absolutus esset canon. Quarto hæc revelatio inter tot tyrannorum furores, inter tot Judæorum & Christianorum lanienas illæsa semper servata est, nec quidquam ipsi per tantam fatorum seriem decessit.

FINIS.

INDEX

INSTITUTIONES THEOLOGIÆ NATURALIS. pag. 1

THEOLOGIÆ NATURALIS

LIBER I.

De Dei existentia. . 2

CAP. I. *De existentia Dei ex principiis moralibus.* 5

CAP. II. *De existentia Dei ex principiis physicis.* 25

CAP. III. *De existentia Dei ex principiis metaphysicis.* 47

CAP. IV. *De falsitate Spinoxismi.* 56

THELOGIÆ NATURALIS

LIBER II.

De præcipuis Dei attributis. pag. 63

Cap. I. *De Dei unitate.* ibid.

Cap. II. *De Dei æternitate.* 72

Cap. III. *De Dei independentia.* 74

Cap. IV. *De Dei simplicitate.* 76

Cap. V. *De Dei immutabilitate.* 79

Cap. VI. *De Dei immensitate.* 81

Cap. VII. *De Dei omnipotentia.* 84

Cap. VIII. *De Dei intellectu.* 95

Cap. IX. *De Dei libertate.* 98

Cap. X. *De Dei bonitate.* 103

Cap. XI. *De Dei justitia.* 105

Cap. XII. *De Dei veracitate.* 108

Cap. XIII. *De Providentia Dei in ordine naturali cum physico, tum morali.* 110

Cap. XIV., *& ultimum. De Providentia Dei in ordine morali supernaturali.* 117

7

INSTITUTIONES ETHICÆ.

§. 1. AD eam tamdem pervenimus Philosophiæ partem, quæ tota circa hominem versatur, illumque ut *variis corporis, animique facultatibus* præditum, ut *in societate constitutum*, ut *Dei creaturam* contemplans, quænam ejus officia sint, quænam ejus vera bona, quænam falsa definit, ac viam illi indicat atque explanat, qua dolores fugiat, voluptates sibi comparet, ac contentus, tranquillusque vivat, quo felicitas continetur.

§. 2. Hominem esse variis corporis, animique facultatibus præditum, quibus in propriam, alienamque utilitatem, vel perniciem uti possit, sensu intimo unicuique constat. Illum natum esse ad societatem cum sui similibus ineundam, non ad vitam silvas inter & antra, belluarum more, sine Religione, sine societate, sine rationis usu ducendam ex ipsa hominis constitutione, ex ipsa experientia in primo capite Libri II. harum Institutionum demonstrabimus. Tandem eum esse Dei creaturam ex jam explicata Theologia naturali satis compertum est. Ex his autem principiis necessario consequitur, debere hominem ex una parte, si contentus tranquillusque vivere velit, propriis corporis, animique facultatibus recte uti; ex altera ve-

ro illi non licere, eas sibi capere voluptates, quæ vel divinis mandatis, vel alienæ felicitati adversantur. Ac revera si est Dei creatura, ejus jussa facere debet: præsertim cum Deus præmia sibi obtemperantibus, pœnam vero legum violatoribus constituerit. Si ad societatem natus est, cum sui similibus ineundam, aliorum hominum benevolentiam sibi captare, nec eorum felicitati detrimentum inferre debet, cum omnes homines idem jus ad felicitatem habeant. Canon igitur fit, qui semper præ oculis in universa Philosophia morali est habendus, nempe: *Quærendam esse propriam felicitatem juxta divinorum mandatorum normam, ac sine alienæ felicitatis læsione.*

§. 3. Huic canoni nos semper inhærentes in primo harum Institutionum libro contemplabimur hominem, ut *variis corporis, animique facultatibus præditum*, in altero ut *in societate constitutum*, in tertio ut *Dei creaturam.*

Illud a vobis peto, optimi adolescentes, ut me de rebus, a quibus omnis fere vestra pendet felicitas, disputantem attente audiatis, ac præcepta bene, beateque vivendi animo penitus infigatis.

ETHICÆ

LIBER I.

De Homine ut variis corporis, animique facultatibus prædito.

§. 4. Corporis facultates sunt *sensus*; animi vero *intelligentes vires*, atque *appetitus*. Sensibus modo se ipsum homo conservat, perficitque, modo propriam imperfectionem, aut destructionem operatur. Viribus intelligentibus nunc delectationes sibi accersit, multiplicat, augetque, nunc mala exasperat, ac ea fingit, quæ animo molestiam, corpori autem egritudines afferunt. Appetitu & commovetur ad justam intensitatem, prout ejus natura expostulat, ac modum excedit, & in vitia arripitur, cum nempe affectus insolescunt. Homo igitur variis corporis, animique facultatibus præditus, si felix esse velit, debet 1°. recte uti sensibus, viribusque intelligentibus, 2°. rite proprios moderari affectus. De recto sensuum, viriumque intelligentium usu in primo hujus Libri capite, de affectibus rite regendis in septem posterioribus agemus.

CAPUT I.

De recto sensuum, viriumque intelligentium usu.

§. 5. CUm homo a Natura, sive a Deo, organa corporis acceperit, ut se ipsum conservet, perficiat, propriamque inquirat felicitatem, necessario consequitur, fuisse humanæ libertati frænum impositum, ut nihil ageret, quod menti & consilio Dei adversaretur. Debet igitur homo ita sensibus semper uti, ut 1°. proprii corporis conservationem, ac 2°. corporis, animique perfectionem operetur.

§. 6. Corporis *conservatio* præcipit 1°. ut paremus necessariam nutritionem, fugiamus autem illam nutritionis qualitatem, aut quantitatem, quæ perniciosa esse potest. 2°. ut corpori nostro nec nimio labore, nec nimia pigritia noceamus; æque enim ad corporis interitum ducit nimius labor, ac nimia pigritia. 3°. ut in nostra sanitate custodienda neque negligentes simus, neque nimis diligentes. Qui nulla pericula metuunt, qui omnia mala physica, quibus premuntur, spernunt, qui remedia, ac medicinas adhibere recusant, ii profecto propriam destructionem quærunt. Contra qui omne periculum metuunt, qui continuo medicum consulunt, ac nisi medicus annuat, ne respirare quidem audent, qui perpetuis medicinis utuntur, nimia cura propriæ conservationi nocent.

§. 7. Corporis *perfectio* exspostulat, ut iis ludis nos exerceamus, quibus agilitatem, dexteritatem, fortitudinem, uno verbo per-

fectionem acquiramus. Hinc antiqui, ac præsertim Græci ludos gymnasticos in deliciis habebant, atque ita juventutem educabant, ut in illis eam diutius exercerent. Quam quidem educationem iis saltem in locis, ubi opportuna foret, a parentibus negligi maxime dolent Philosophi, cum non solum periculis superandis, sed corporis membris evolvendis, perficiendisque ea mirifice inserviat.

§. 8. Animi *perfectio* efflagitat, ut sensibus utamur ad scientias addiscendas, ad virtutem exercendam, cum scientia & virtute animus perficiatur. Omnem igitur diligentiam adhibebimus, ut res metaphysicas & physicas, quantum fieri potest, agnoscamus, ut addiscamus artem, quæ affectus, ac naturæ impetus intra suos cancellos cohibet, & ad felicitatem ducit. Omnem operam dabimus, ut ea, quæ didicimus, quæque animum ad beatitudinem formant, revera operemur. Quid enim prodest agnoscere viam, quæ ad animi perfectionem, & felicitatem ducit, nisi eam reapse ingrediamur, nisi illi diligenter adhæreamus? Qui præcepta bene beateque vivendi probe percipiunt, sed in operando ea negligunt, vel spernunt, similes sunt, ut Cleans ajebat, lyræ, quæ aliis, non sibi sonum edit. Ad hoc autem efficiendum juvabit in primis exempla sibi proponere ad imitandum, eorum scilicet, qui justam, honestam, liberalem, ac magnanimam vitam duxerunt, quorum exemplorum copiosam segetem suppeditat historia sacra & ecclesiastica, pluraque historia ipsa profana. Atque hunc præcipue in finem historiæ lectio suscipienda est. Eam ob rationem historiam vocat Cicero *Magistram vitæ*.

§. 9. Ut natura, sive Deus, homini dedit organa corporis ad se ipsum conservandum, perficiendumque, ita etiam eumdem ad finem illi tribuit vires intelligentes. Adversatur igitur homo naturæ fini & consilio, quoties vel viribus intelligentibus consulto utitur ad propriam destructionem, imperfectionemve, vel remedia negligit, quibus evitet dolores ab exercitio virium intelligentium proficiscentes.

§. 10. Generale autem remedium, quo hujusmodi dolores evitet, in hoc consistit, ut dum *memoria*, aut *imaginatione* excitari sentit ideam, quæ ope *reflexionis*, *judicii*, *ratiocinii &c.* dolorem pariat, statim revocet animum ad aliquam sensationem, quæ impediat, ne in illa idea contemplanda animus versetur. Congressiones jucundæ, spectacula clamoribus plena, & varia, honestum solatium cum amicis, festa, ludi, venationes, itinera, peregrinationes, aliaque hujusmodi totidem erunt opportunæ viæ, quibus ab hisce doloribus sibi præcaveat. Quod si contingat, ut unum, alterumve ex hisce oblectamentis ad extinguendum dolorem non sufficiat, quo pertinaciorem experitur dolorem, eo celerius ab uno ad alterum transibit. Ita enim aut tandem reperiet oblectamentum ad extinguendum dolorem opportunum, aut saltem eorum varietas magis magisque mentem distrahet, doloremque imminuet.

§. 11. Præter hoc generale remedium, quod *mechanicum* dici potest, remedia etiam *philosophica* in subsidium vocabit. Hinc si illum cruciet idea patrati mali, malum illud, quantum in ejus potestate est, reparabit, simulque vitam exordietur juxta leges honestatis, officiorumque, ne in posterum dolorem

illum experiatur. Si illum pœniteat alicujus imprudentiæ, alta mente defixum retinebit dictum: *Perpende quid agas, & antequam rem aliquam aggrediaris, quid tibi contingere possit, sedulo, ac accurate considera.* Si perturbetur idea perlati mali, quia ira & odio ferveat erga causas, quæ malum illud produxerunt, ea servabit, quæ de ira & odio nos deinceps præcipiemus. Si bonum amissum, ut plerumque accidit, illum affligat, 1°. recte judicabit, *an bonum illud sit ad felicitatem consequendam necessarium*. Bona nobis necessaria, ut felicitate fruamur, pauca admodum sunt. Et quidem homo tranquillus, ac contentus, felix omnino est, ut omnes fatentur. Ut vivat tranquillus, sufficit, ne malis prematur. Ut vero vivat contentus, sufficit, ut egestatibus careat. Si mala egestatesque sustuleris, cupiditates evanescent, tranquillus, & contentus eris. Jam vero quot sunt veri nominis mala? Soli corporis dolores, ac conscientiæ stimuli. Quænam sunt veræ egestates? Illæ duntaxat, quæ ad corpus spectant, nempe victus, ac potus, ac quisquis iisdem satisfacere potest, id omne possidet, quod requiritur, ut contentus vivat. Perpendet igitur, num bonum amissum sit ad felicitatem necessarium, an potius aliqua ad felicitatem accessio. Bona, quæ sunt felicitatis accessio, dum in nostra potestate sunt, tanquam *quid amplius* considerari debent, ideoque iis ita pe frui debemus, ut si rapiantur, nostra non turbetur tranquillitas. Præ oculis habendus est Seneca, quid a Claudio Imperatore divitiis, gloria, honoribusque spoliatus, missusque in exilium scripsit (*De consolatione ad Helviam cap.* 5.) *omnia illa, quæ in me indulgentissime* (fortuna) *conferebat, pecuniam, ho-*

nores, gloriam eo loco posui, unde posset ea sine metu meo repetere. Intervallum inter me, & illam magnum habui. Itaque abstulit illa, non avulsit. 2°. Diligenter investigabit, *an bonum amissum recuperari possit*. Si recuperari possit, imaginationem distrahet a facta amissione, totamque convertet ad illud gaudium & lætitiam, qua in recuperatione amissi boni exsultabit. Hæc contemplatio aut dolorem prorsus extinguet, si certa sit spes, ac præpropera illum perfundet voluptate, aut magis minusve dolorem imminuet, prout spes illa major, minorve videatur. Sin vero recuperari nequeat, necesse est legibus necessitatis obtemperare, necesse est Horatii sententiam usurpare: *Durum, sed levius fit patientia, quidquid corrigere est nefas*. Tunc igitur aut constanter abstinebit a contemplanda imagine amissi boni, aut si imaginatio pertinaciter illam offerat, ea simul bona intuebitur, quæ ex illa jactura proveniunt. Omne enim malum aliquo semper bono compensatur, ut experientia demonstrat. Imo quo majus est malum, eo majora bona progignit; cum idem nobis contingat, ac fontium aquis, quæ eo altius ascendunt, quo major est, ex qua ruunt, altitudo. Nec leve illi solatium erit, eos homines respicere, qui majoribus calamitatibus conflictantur. *Circumfer* (ajebat Seneca ad Marciam cap. 10) *per omnem notorum & ignotorum frequentiam oculos, occurrent tibi ubique majora* (mala). *Senserunt ista magni duces, senserunt principes. Ne Deos quidem fabulæ immunes reliquerunt, puto ut nostrorum funerum levamentum esset, etiam divina concidere. Circumspice, inquam, omnes, nullam tam miseram nominabis domum, quæ non inveniat in miseriore solatium.* 3°. Tandem *oculos convertet ad illa bona, quæ*

illi adhuc superſunt; horum enim intuitus amiſſi boni dolorem aut extinguet, aut ſaltem imminuet. Hinc idem Seneca ad Martiam: *Iniquiores ſumus adverſus relicta ereptorum deſiderio. Sed ſi exiſtimare velis, quam tibi valde fortuna, etiam cum ſævierit, pepercerit, ſcies, te habere plus quam ſolatia*.

§. 12. At inquies: Nonne vis memoriæ & imaginationis a noſtra libertate nullo modo pendet? nonne proinde recenſita remedia inutilia prorſus ſunt, cum in noſtra poteſtate non ſit, funeſtas imagines a memoria & imaginatione excitatas diſſipare?

Sunt quidem, qui ita opinantur, ſed perperam prorſus. Etenim quamvis dominatus noſter in memoriam & imaginationem perfectus, numeriſque omnibus abſolutus dici nequeat, intima tamen experientia nos docet, eum ſufficere ad funeſtas imagines avertendas, præſertim ſi illum exercere nitamur, antequam *ſpiritus animales*, vel quodcumque aliud agens, quod dimovet fibras cerebri, habitum contrahant illas fibras dimovendi, ex quarum motu imagines illæ oriuntur in animo. Fatemur quidem in iis, qui dum bonum aliquod amittunt, vel in malum aliquod incidunt, ſolitudini ſe dedunt, ſenſationes adverſantur, ut phantaſmata, quæ dolorem afferunt, commodius, vividiuſque contemplari poſſint, memoriæ ac imaginationis dominatum ſenſim ac paulatim imminui propter habitum, quem contrahunt ſpiritus animales illas potius, quam alias fibras demovendi, ſed tamen dominatus hujuſmodi nunquam omnino evaneſcit, cum ipſi quoque dolorem tandem propellant, dummodo in allatis adhibendis remediis diutius perſeverent.

§. 13. Causa autem, cur nonnulli homines, dum malis confligantur, solitudinem amant, atque funestis imaginibus contemplandis diu immorantur, non est ille dolor, qui ex hac contemplatione enascitur, nemo enim potest dolorem appetere, sed secreta illa voluptas, quam percipere sibi videntur, dum proprium infortunium exaggerant, dum fatum aut fortunam execrantur, dum meditantur vindictam, atque alia hujusmodi sibi repræsentant. Hujus voluptatis illecebris irretiti colubrum sinu fovent, ac crudeliter dilacerantur. Itaque hæc voluptas est omnino fugienda: ea enim est Alcinæ incantatio, est Circes poculum, est Sirenis cantus, unde incauti misere decipiuntur. Ea memoriæ ac imaginationis dominatum eripit.

CAPUT II.

De Affectibus rite regendis, ac in primis de amore & æstimatione sui ipsius, de superbia, ejusque remediis.

§. 14. Quid sint affectus, quænam eorum modificationes, & signa jam Psychologiæ Lib. II. Cap. V. explicavimus. Ne igitur actum rursus agamus, statim de affectibus rite regendis sermonem instituemus: Quia vero elementorum angustiæ non sinunt de omnibus *amoris*, *odiique* modificationibus disserere, eas præcipue contemplabimur, quæ vel rite regendæ sunt, vel penitus eradicandæ, ut felicitatem consequamur.

§. 15. Primus affectus, quem homo rite moderetur oportet, est *amor sui ipsius*, quo commoveri incipit statim ac sibi conscius est propriæ existentiæ. Donec homo ita se ipsum amat, ut se conservet, perficiatque ea tamen lege, ne cæterorum hominum jura, quæ ex naturali æqualitate dimanant, aut lædat, aut abrumpat; recte ac honeste hoc affectu tangitur; talis enim sui ipsius amor & est homini ad vitam tuendam necessarius, ac fini, consilioque naturæ respondet. Sed statim ac incipit ita se ipsum amare, ut vel superbe & elate de se ipso sentiat, vel injuriam, damnumve alteri inferat, (quod si fiat, non male amorem sui ipsius *amorem proprium* appellaveris) naturæ aperte adversatur, quæ præcipit, recte de rebus esse judicandum, alienamque lædendam non esse felicitatem. Errant igitur, qui amorem sui reprehendunt plane omnem, ac docent, eum ex animo radicitus esse evellendum. Errant, qui modo in amorem sui, modo in amorem proprium invehuntur. Errant, ac præcepta naturæ violant plerique homines, dum amori proprio indulgentes omnia suis commodis metiuntur.

§. 16. Quod de sui ipsius amore, idem de sui ipsius æstimatione dicas. Homo ita natura comparatus est, ut perfectiones, quas in aliis commendat, dum in se ipso illas reperit magis æstimet, augeatque. Etenim nos æstimamus tantum id, quod sub specie vel *pulchri*, vel *boni* nobis repræsentatur. Cum vero pulchrum sit quæcumque repræsentatio cum voluptate conjuncta, bonum vero quælibet voluptatis modificatio, ut Psychologiæ §. 189. & 192. docuimus; evidenter patet, easdem perfectiones, dum in nobis sunt, gignere repræsentationem cum majori volupta-

te conjunctam, vel modificationem majoris voluptatis, quia voluptati quam propria natura hæ perfectiones afferunt, additur tam voluptas possessionis earumdem, quam voluptas, quam sui ipsius, suarumque rerum amor excitat. Huc accedit, earumdem perfectionum, cum in nobis illæ sunt, extensionem ac intensitatem nos magis agnoscere: semper enim eas præ oculis habemus, semper illas sentimus, quod certe non contingit, dum in aliis hominibus illas observamus. Hinc sui ipsius æstimatio ad certum usque gradum naturaliter homini inest, quæ proinde neque corrigi potest, neque peccati indolem repræsentat. Ea in vitium, in *superbiam* nempe degenerare incipit, cum homo proprias perfectiones, etiamsi minores sint, magis æstimat, quam majores alterius, omnesque vias tentat, quibus propias opinione augeat, alienas vero deprimat, minuatque; unde nomen vitio quæsitum est; est enim superbire quasi superire, hoc est aliis anteire opinione meritorum suorum.

§. 17. Superbia summopere vitanda est. Nam 1°. rectæ rationi adversatur, quæ præcipit, judiciorum veritatem. 2°. ea reddit hominem aliis hominibus maxime invisum: quisquis enim odit arrogantem, ambitiosum, elatum, execratur & vitat si possit, & quamquam interdum, ut mori aut necessitati pareat, eum quadam honoris significatione prosequatur; tamen proscindit absentem maledictis, nec hero famuli, nec populi gubernatori, ac rectori communitatis parcunt, nec plebeji homines senatori. 3°. ea animi perturbationem inducit. Cum enim fieri non possit, ut omnia ad voluntatem fluant, imo quam multa secus accidant necesse sit, quæcumque sit vitæ conditio, aut affluentia di-

vitiarum; qui superbus est, is sempiterna tristitia tabescit & roditur, & quasi jaculo ac ense confoditur, dum videt ad alios deferri honores & dignitates, eosdemque æstimari, ac diligi, sibique præferri. Eum vehementer pungunt etiam minuta, & levia, ut dictum aliquod inurbanum, aut factum, aut officii prætermissio quamquam fortuita, ac minus voluntaria, & quandoque nec debita. Quo autem quisque in sublimiori gradu collocatus est, eo delicatior solet esse, & vel acu acerbe sauciari: quocirca numquam pace frui potest, liquidaque voluptate.

§. 18. Sed nulla superbia magis stulta, ac detestabilis est, quam eorum, qui gloriam captant ab iis, quæ sunt aliena, a generis claritate, ab opibus &c. Nihil enim magis stultum ac detestabile excogitari potest, quam propter ea se magni æstimare, quæ non pendent a nobis, quæ nos meliores non faciunt, nec in nostra sunt potestate. Ii, qui ita superbiunt, redargui possent vel verbis Scythæ Anacarsis, qui impudenti Atheniensi patriam illi exprobranti respondit: *Mihi patria probro, tu patriæ*, vel verbis magni ducis Iphicratis, qui Armodium suam generis nobilitatem extollentem ita reprehendit: *Mea nobilitas a me incipit, tua in te desinit.* Intelligebat enim Iphicrates, veram nobilitatem virtute non solum gigni, sed etiam conservari, ideoque superbos a majorum honestate degenerare, ac proinde non nobiles, politosque, sed plebejos, rudesque esse judicandos.

§. 19. Ad superbiam expellendam necessaria est firma persuasio, nostras perfectiones, nostrasque dotes, utcumque magnæ nobis videantur, ita esse exiguas, ac tantis cum imperfectionibus, vitiisque copulatas, ut non

solum inter alios se non excellendi, verum etiam parum admodum se æstimandi occasionem recte philosophanti præbeant. Quæ quidem persuasio nititur veritati. Nam 1°. maxime verum est, hominis perfectiones, ad quemcumque altitudinis gradum perveniant, adeo arctis limitibus circumscribi, ut qui iisdem intumescit, mereatur responsionem, quam Archidamus III. Rex Spartæ Philippo Macedoni Chæronensi victoria exsultanti dedit, nempe: *Cum sol adest, tuam umbram intuere, illamque dimetire, ac ne puncto quidem ob relatam victoriam eam majorem reperies*. 2°. maxime verum est, hominis perfectiones adeo magnis cum imperfectionibus, vitiisque copulari, ut major etiam mortalium, si in speculo sua vitia intueri, ac contemplari posset, nunquam caput extollere, ac eminere vellet. Hercules monstrorum terror, ac invicti roboris prodigium, Omphales amore captus clavam in colum commutat. Demosthenes Athenis eloquentiæ fulmen, Syracusis est omnibus militibus vilior. Alexander, qui Jovis filius, ac veluti Numen habetur, inter pocula sordida ebrietate percutitur, ut ne homo quidem jam esse videatur.

§. 20 Quod si & illud amplectamur, quod præcipit Cicero *de Offic. Lib. I. cap. 29. quanto superiores sumus, tanto nos submissius geramus*, non solum superbiæ nunquam indulgebimus, sed etiam tum alienam benevolentiam, cum honorem & gloriam nobis comparabimus: omnes enim, vel improbi fere, elatique homines, qui de se submisse sentit, qui alios observat, magni facit, ac sibi præfert, eum amant, & laudant, atque ea una dos satis est ad famam, etiamsi cæteris careat. Quæ tamen submissio moderata sit, nec umquam

vilem, abjectumque animum prodat oportet. Qui enim pusillo, abjectoque animo est, qui se nihil æstimat, non solum nihil unquam grande, nihil excelsum efficiet gloriosumque, verum etiam in vilia, & vituperabilia ruet: Semper humi reptabit, aliorum semper opinionibus, ac cupiditatibus inserviet, nullumque timendi, trepidandique finem faciet.

§. 21. Itaque summopere commendanda est nobilis illa dexteritas, qua homo se ipsum, suas perfectiones, suasque vires probe percipiens vilem timorem rejicit, seque ab aliorum injuriis animosus defendit, nec unquam aliquid permittit, aut operatur, quod *abjectionis* notam ipsi inurere possit.

CAPUT III.

De Vanitate, ac de cura & contemptu alienæ æstimationis.

§. 22. EX superbia sponte fluit *vanitas*. Nam cum homo eo pertingit, ut proprias perfectiones, etiamsi minores sint, aliorum perfectionibus præferat, ac propriis maxime delectetur, illud vehementer desiderat, ut aliis etiam hominibus hæ perfectiones innotescant, & ipsi quoque de iisdem eodem modo judicent, ac proinde laudari, atque æstimari cupit, in quo tota *vanitatis* ratio sita est. (1)

---

(1) Hominis vanitate abrepti descriptionem tradit cl. P. Soaves in sua Ethica pag. 117.

§. 23. Ex hac autem vanitatis notione statim patet, hominis officium esse, omnem

---

„ Gli artifizj, onde servesi l'uomo vano,
„ sono di mille maniere. I suoi difetti, le
„ sue qualità biasimevoli procura egli di na-
„ scondere studiosamente, e il poco, che
„ ha di pregevole, tutto mette sagacemente
„ in comparsa; e onde le cose minori in lui
„ abbiano maggior risalto, coglie i momen-
„ ti opportuni, cerca le occasioni più favo-
„ revoli per farne mostra.

„ Persuaso, che gli uomini apprezzar non
„ sogliono se non quelli, che i loro gusti se-
„ condano, e le loro opinioni, ei cangia
„ carattere e contegno a misura, che cangia
„ luogo, e società, e come il versatile Al-
„ cibiade, attivo, e intraprendente in Ate-
„ ne, è molle, ed effeminato in Persia, du-
„ ro, frugale, laborioso in Isparta.

„ La lode non meglio si compra, che col-
„ la lode: quindi egli prodigo di encomj si
„ fa altrui per essere di altrettanti, o di mag-
„ giori ricompensato.

„ Ma perchè nulla ei più abborrisce, che
„ aver degli emoli, o de' rivali; perciò ove
„ di questi si tratta, ei cerca ogni via di
„ screditarli, e dove la vanità non gli val-
„ ga, ricorre maligno alle imposture.

„ Intanto verso gli uomini manifestamen-
„ te superiori non esita punto a profondere
„ i maggiori elogj, e a mostrarsene il mag-
„ giore ammiratore per acquistarsi così la
„ stima di giusto. In quelli pure, che ad es-
„ so inferiori palesemente son conosciuti,
„ egli cerca di rilevare, quanto vi ha di

prorſus vanitatem expellere. Finis enim, conſiliumque naturæ, quo homini tribuit corpo-

---

„ pregevole, per aver così il doppio vantaggio e di eſſer tenuto eſtimator ſincero
„ de' pregj altrui, e di far che i proprj col
„ confronto più vengano ad inalzarſi.
„ Ma come queſto riſpetto a i viventi può
„ alcuna volta alla ſua vanità riuſcire pericoloſo, perciò verſo ai morti più volentieri l'eſercita; e il panegirico di quelli,
„ che più non ſono, a lui ſovente ſerve di
„ mezzo per abbaſſare quelli, che eſiſtono.
„ Gli eguali a lui, o rivali nello ſteſſo genere ſono quelli ſopra tutto che egli ſi fa
„ premura di deprimere maggiormente; e
„ quindi l'antico Proverbio, che il Poeta è
„ nemico al Poeta, il Muſico al Muſico.
„ Quando però ſi tratti di mettere al confronto coll'altre la profeſſione, à cui egli
„ ſi è appigliato, queſta inalza ſopra di tutte: il che egli fa qualche volta per intima
„ perſuaſione, avvezzo a riguardare come più
„ ſtimabile quella, a cui ha applicati tutti i
„ ſuoi ſtudj; e talvolta per ottenere almen
„ la lode di aver fatta una buona ſcelta,
„ quando altra aver non ne poſſa. Per ſimil
„ modo la ſua patria loda, la ſua famiglia,
„ o i ſuoi amici, o i ſuoi antenati per metter così a parte della gloria altrui, chi
„ della propria non può ornarſi.
„ Il diſprezzo all' uomo vano è la pena
„ più inſopportabile, poichè l'ingiurie ſempre gli laſciano la luſinga, che chi le dice
„ ſia traſportato dall'impeto della paſſione,
„ e non ſenta nel ſuo cuore tutto quello,

ris, animique facultates, non fuit, ut iisdem intumesceret, laudemque inde quæreret, sed ut iisdem se conservaret, perficeret, virtutemque exerceret. Huc accedit, vanitatem

---

„ che proferisce la lingua; ma un freddo di„ sprezzo gli è una prova troppo palese, che „ non si fa di lui nessun conto.

„ Or siccome egli riguarda come una spe„ cie di disprezzo il silenzio, che tengasi „ sopra di lui, così ogni via procaccia per„ chè di lui si ragioni. Il primo a parlarne „ è pur egli stesso, e tutte le sue avventure „ e le sue prodezze a tutti egli ripete finan„ che all'estrema noja, nè in queste vi ha „ circostanza la meno osservabile, ch' egli „ minutamente non metta in campo.

„ Ove occasione manchi di produrre le sue „ glorie, parla delle sue debolezze, parla „ de' suoi difetti, parla fin anche de' suoi „ vizj medesimi. Egli ama di dir di se stesso „ più tosto male, che nulla. I più scaltri „ però quei difetti producono solamente, che „ sembran nascere da' buoni principj: si ac„ cusano collerici e impetuosi, ma dove trat„ tisi dell'onestà, dell'onore, minuti si ac„ cusano e sofistici; ma quando trattisi di „ maneggiar cose altrui, si confessano osti„ nati e inesorabili, ma dove il chiede l'e„ satto adempimento de' loro officj. Che se „ pur godono di esagerare la loro inabilità, „ la scarsezza de' loro talenti, la debolezza „ e infedeltà della loro memoria, egli è do„ ve sperano in ciò di esser contradetti, e „ di sentir celebrati da altri quei meriti, „ che con una simulata modestia essi fingono

cum felicitate omnino pugnare. Nam necesse est, eum turbidis, concitatisque motibus perturbari, qui honoris, laudisque studio teneatur. Cum enim id expectat, quod in aliena est potestate, fluctuat perpetuo ac metuit, ne laus maximis laboribus, vigiliisque parta, subito evanescat & occidat; præterquamquod est paratu difficillima. Hinc vero graves oriuntur inimicitiæ, simultates, lites, contentiones, invidiæ, atque ideo infiniti dolores.

§. 24. At oppones, ad laudem omnes inflammato studio ferri. Videmus enim duces, ac milites virtute præstantes, qui non modo aspera quæque, & dura libenter ferunt, sed & sanguinem vitamque profundunt, ut solam laudem acquirant. Videmus literatos viros legendo, scribendoque mirifice deditos solius laudis sibi comparandæ gratia. Laus igitur bonorum maximum est, quam qui altissimo ingenio sunt, hi habent vita potiorem.

Verum respondemus, vera hominis bona judicio & ratione, non cupiditate esse definienda. Laudis solius acquirendæ sitis adversatur naturæ præceptis, pugnat cum propria felicitate, ideoque ægritudo est, quam necesse est expellere adhibita medicina, non explere. Hinc ii duces, ii milites, ii literati viri, qui solius laudis acquirendæ studio dura perferunt, graves curas doloresque suscipiunt, labores exantlant, rem familiarem pro-

---

„ di non conoscere in se stessi: ed in fatti
„ il peggior dispetto, che loro si possa fa-
„ re, è il mostrare di credere quel ch' essi
„ dicono. „

fundunt, valetudinem labefactant & perdunt, nedum in summa inanitate versantur, sed etiam vituperatione digni omnino sunt. Eorum vero numerus id tantum probat, quod plures sint homines, qui naturæ præcepta violant, quam qui iisdem inhæreant, plures, qui propriam infelicitatem, quam qui veram felicitatem consectentur.

§. 25. Dum vero vanitatem expellendam esse docemus, non ita res est intelligenda, ut alienæ æstimationis contemptum suadere velimus. Distinguenda est vanitas a cura alienæ æstimationis. Hæc totis viribus inquirenda, & custodienda est, hæc bonis omnibus anteferenda, cum ex ipsa sacra Scriptura *melius sit bonum nomen, quam divitiæ multæ* (*Prov. cap.* 5. *v.* 9.). Qui alienam æstimationem contemnit, fræno illo caret, quod sæpe a sceleribus, flagitiisque coercet. Imo ipse laudum contemptus, dum nimius est, vertitur in vitium, cum indicet eos, qui laudant, nihili æstimari, nempe, arrogantiam, superbiamque declaret (1).

§. 26. Discrimen vero, quod intercedit inter hominem vanitate abreptum, atque illum, qui de aliena æstimatione sollicitus est, in hoc est situm, quod hic Socratis præceptum sectatur, nempe, viribus omnibus enititur, ut talis reapse sit, qualem se haberi deside-

---

(1) „ Un buon nome è una grande eredità, egli è un profumo, che portiamo sempre con noi, e che lasciamo per tutto, dove andiamo. Egli è il maggior retaggio delle virtù dell' uomo. *La Prudenza umana pag.* 35.

rat, ac probe tenens ex rectis operationibus ultro alienam æstimationem acquiri, recte ac virtutis amore, non laudis adipiscendæ gratia operatur. Alter vero magis curat, se videri, quam revera esse aliena æstimatione dignum, ac proinde non rectum, non virtutem, sed laudem in operando sibi proponit.

CAPUT IV.

De Spe, Timore, de Audacia, & animi Fortitudine.

§. 27. Spes est affectus naturæ humanæ maxime necessarius, cum excitet, incendatque animum ad agendum, ac ea sublata homines torpeant, & nihil, quod præclarum sit, faciant, aut moliantur. Hic affectus in se spectatus semper affert voluptatem, quæ consecutioni rei, quam speramus, sæpe est anteferenda. Et quidem cum imaginatio rem, quam habemus in spe, longe præstantiorem repræsentat, quam revera sit, vel cum ea, quæ efficimus ad rem, quam speramus, consequendam, majorem voluptatem reapse afferunt, præstat sperare, quam consequi, cum utrinque majori voluptate perfundamur.

§. 28. Quia vero animus potest sibi persuadere vel inani conjectura, vel firma ratione eventuram rem, quam cupit, hinc cujuslibet hominis officium est, accurate perpendere rationes, quibus spes inniti debet, ne vel ea excitetur, ubi sufficientes rationes desunt, vel justam intensitatem excedat. Peccant igitur contra rationis præcepta, qui inani con-

jectura prospiciunt divitias, oblectamenta, honores, ac dignitatis gradus, & putant, hæc, quamquam longissime absint, se tandem esse consecuturos. Stulti, ac instar somniantium sunt, qui nulla ratione suffulti animum in spem erigunt, incenduntque.

§. 29. Spe ad felicitatem utemur 1°. cum malum perpetravimus, cujus nos pœniteat. Unica enim via, qua post peccatum nos consolemur, est diligens inquisitio eorum, quæ spem excitare possunt, aut remedii, aut compensationis. Nefarium vero, ac contra divina præcepta foret, uti spe ante peccatum, aut peccare spe veniæ, cum ante peccatum spes faciat, ut pecces audacius. 2°. Cum malum nobis imminet, quod timeamus. Quamvis enim debeamus ex una parte animum præparare ad mala imminentia fortiter perferenda, si eveniant; attamen ex altera felicitatis amor expostulat, ut ea omnia colligamus, quæ spem aliquam excitare possunt, fore ut mala illa vel non eveniant, vel non sint ita gravia, qualia nobis videntur. Porro quotidiana experientia docet, etiam infortunia, quæ necessaria apparent, sæpe vel per se evanescere, aut fortuito rerum concursu dissipari.

§. 30. Sicuti hominis erga se ipsum officium est, accurate perpendere rationes, quibus spes inniti debet, ne vel excitetur, ubi rationes deficiunt, vel justam intensitatem excedat, ita etiam ejusdem officium erit, probe agnoscere rationes, quæ excitant timorem, vel sit timor *malorum*, vel *periculorum*, ne is quoque vel illum commoveat, ubi natura non expostulat, vel justam intensitatem excedat. Ad timorem malorum quod spectat 1°. decipiuntur homines vel dum pro certis habent ea mala, quæ sunt tantum possibilia, vel dum

mala fingunt veluti majora, quam revera sint. Hic error tantum dolorem aliquando creat, ut illum excedat, quem mala ipsa revera gignerent; ac proinde sæpe minus infelices essemus, si mala experiremur, non timeremus.

§. 31. 2°. Decipiuntur, cum putant existere *fortunam*, quasi aliquid *reale* & *immutabile*, nempe Numen aliquod, quod iis adversetur, quodque & timorem malorum ingerat, & mala ipsa producat. Etenim non fortuna, sed experientia timorem malorum creat, vel spem excitat, prout res bene vel male pluries obvenerit. Si pluries hominibus res male obvenerit, proclives fiunt ad timorem, contra ad spem inclinant, si bene. Fortuna prout aliquid *reale* & *immutabile* est vocabulum sine ulla significatione, est chimæra. Qui sapiens est probe intelligit, fortunæ nomine nihil aliud ab homine sana mente prædito haberi posse, nisi fortuitum, seu non prævisum rerum concursum ad unum potius, quam ad alterum effectum producendum; ideoque iis, quibus pluries res male evenerit, male rursus persæpe rem illam evenire, non quia fortuitus rerum concursus fuerit idem, idemque expostulaverit, sed quia ob timorem, quo perpetuo præoccupantur, neque illam industriam, neque eam experientiam sibi comparatunt, quæ eventum felicem præparant, quibusque præditi sunt ii, qui in *fortunatorum* numero recensentur.

§. 32. Quoad timorem *periculorum* errant pariter homines, dum vel pericula *opinionis*, quæ nempe solis præjudiciis innituntur, non distinguunt a periculis *veris*, vel pericula vera, quæ *remota* tantum sunt, pro *proximis* habent. Ita qui timent omnia & æstum, & frigus, & venti flatum, & pluviam, morbum.

que leviorem, & si quid incommodi possit esse in lecto, in domo, in cibo, in potu, in veste &c. pericula *opinionis*, nempe propria præjudicia a periculis veris non distinguunt. Qui vero adspectu cujuslibet fulguris, cujuslibet equi, vel canis &c. pallent & contremiscunt, pericula remota pro proximis habent.

§. 33. Si pericula vera sint, & proxima, semper audacia fugienda est. Audax enim proprias vires longe majores, quam reapse sint, sibi repræsentat. Nec funesta exempla illum commovent, ac deterrent, nam omnibus aliis superiorem se habet, ac primi felices eventus illum temerarium faciunt. Similis est funambulis, qui quandoque fracto collo intereunt. Ergo si pericula sint vera, & proxima, cujuslibet hominis officium est animi fortitudo. Hæc enim vires adauget, impedit, quominus ratio aspectu periculi obnubiletur, obscureturque, ac media plerumque suppeditat, quibus pericula facilius evitet.

CAPUT V.

De Invidia, de Æmulatione, ac de sui ipsius cognitione.

§. 34. Nullus affectus aut vituperabilior, aut turpior est invidia, cujus vel invidum ipsum pudet. Plures scelesti homines de quibusdam vitiis glorientur, nemo de invidia. Quod licet ex eo præcipue oriatur, quod nempe fateri invidiam, idem sit, ac se inferiorem fateri, attamen ipsa quoque invidiæ deformitas, atque communis

-detestatio causæ sunt, cur unumquemque invidiæ pudeat.

§. 35. Atqui affectus tam turpis, tamque vituperabilis inter homines reperitur. Quotidie enim videmus, homines nonnullos, cum aliorum res secundas, præclaraque facta audiunt, non gaudere, sed ira vel tristitia tangi. Imo sæpe contingit, ut quos cariores habebant, odisse incipiant, statim ac eos nimis se extollere viderint. Cujus quidem odii causa non est illa felicitas, ad quam ob res secundas, præclaraque facta perveniunt, nam si feliciores fierent, absque eo quod majores divitias, aut majorem dominatum, majoremque æstimationem acquirerent, nempe, si feliciores ob id tantum fierent, quia augeretur eorum corporis sanitas, animique tranquillitas & moderatio; nulla tristitia, nullumque odium in iis excitaretur. Propria igitur superbia est invidiæ causa; nempe ad iram, tristitiam, atque odium excitamur, statim ac alter supra nos se extollit, idest, cum ejus prosperitatem quidquam nostræ dignitati, ac gloriæ derogare putamus.

§. 36. Quinam sint morsus invidiæ, quam acres, quam expertes humanitatis sentiunt in primis literati viri, sentiunt ii, qui gerunt magistratum, si virtute præditi sint, sentiunt omnes, quotquot eminent supra cæteros. Athenienses invidia concitati Socratem philosophorum ejus ætatis optimum morte damnarunt. Nec Themistocles etsi de patria præclarissime meritus effugit civium suorum invidiam, namque ob eumdem timorem, quo damnatus erat Miltiades (de quo vid. Cornel. Nepot. in Miltiade num. 7) testularum suffragiis is e civitate ejectus Argum habitatum concessit. Similiter Aristides, etsi co-

gnomine justus sit appellatus, tamen Themistoclis obtrectatione exilio & ipse decem annorum multatus est, & Alcibiades inimicorum invidia reus factus, quod sacra violasset; capitis damnatus est, cum abesset, bonis publicatis, coactis etiam sacerdotibus, ut eum devoverent, ne alios persequar, quorum infinita est multitudo. Hujusmodi autem morsus invidi homines velo justitiæ, virtutis, meriti obtegere conantur, sed trans hujusmodi velum diligenter consideranti invidia se prodit.

§. 37. Invidia vero non solum ei nocet vehementer qui invidetur, sed ei etiam, qui invidet. Quandoquidem is sempiterno gravissimoque mærore exeditur dies ac noctes (1), & quod miserrimum est, non modo suis malis, ærumnisque cruciatur, quæ multæ sunt, sed etiam alienis bonis. *Invidi* (ait Theophrastus apud Stobeum tom. 1. serm. 38.) *hoc sunt reliquis infeliciores, quod alii suis solum calamitatibus dolent, invidi vero præter sua mala bonis etiam alienis contristari pergunt*. Et cum fortunati plures sint, si minus re, saltem opinione, totidem pœnarum generibus, qui invidi sunt, quasi spinis intrinsecus sauciantur. Invidorum indolem, calamitatemque mirificè describit Ovidius (Metamorph lib. 2.)

Protinus invidiæ nigro squallentia tabo
Tecta petit (Pallas). *Domus est imis in vallibus antri*
Abdita, sole carens, non ulli pervia vento,
Tristis, & ignavi plenissima frigoris, & quæ

---

(1) L'*invidia, figliuol mio, se stessa macera*. Sabaz.

Igne vacet semper, caligine semper abundet.
Huc ubi pervenit bello metuenda virago,
Constitit ante domum (neque enim succedere tectis
Fas habet) & postes extrema cuspide pulsat
Concussæ patuere fores. Videt intus edentem
Vipereas carnes, vitiorum alimenta suorum,
Invidiam, visaque oculos avertit: at illa
Surgit humo pigre, semesarumque relinquit
Corpora serpentum, passuque incedit inerti.
Utque Deam vidit, formaque, armisque decoram
Ingemuit, vultumque Deæ ad suspiria duxit.
Pallor in ore sedet, macies in corpore toto:
Numquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno:
Risus abest, nisi quem visi movere dolores:
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis:
Sed videt ingratos, intabescitque videndo
Successus hominum, carpitque, & carpitur una,
Suppliciumque suum est.

§. 38. Ab invidia distinguenda est æmulatio. Nam qui invidet, ira tristitia & odio tangitur, quia ob propriam superbiam putat, alterius prosperitatem quidquam suæ gloriæ ac dignitati derogare; contra qui æmulationem sentit, amat & admiratur prosperitates alterius, omnesque conatus adhibet, ut eas ipse quoque sibi comparet. Invidia igitur eos odit, quos sibi superiores agnoscit, contra æmulatio illos amat, & admiratur. Invidia omnes vias tentat, ut illos deprimat, contra æmulatio omnes conatus adhibet, ut eos imitetur.

§. 39 Quanto igitur magis vituperabilis, ac turpis est invidia, eo commendanda magis est æmulatio, quæ generatim est illud nobile calcar, quo ad grandia, ad heroica stimulamur. Thucidides, quod adhuc admodum

juvenis cum Herodotum publice suam historiam legentem audiret, tantam æmulationem senserit, ut lacrimare cœperit, celeberrimus græcus historicus evasit. Cæsar, quod visa Alexandri statua, tanta æmulatione abreptus fuerit, ut ipse quoque flere cœperit, & innúmeros hostes vicit, & ad Imperatoris dignitatem primus pervenit. Themistocles adeo vitiis deditus, ut a patre exhæredatus fuerit, quod a victoria, quam Miltiades Marathonis retulit, æmulatione incensus fuerit, ita vitam immutavit, ut Xerse Salaminæ victo Græciæ liberator extiterit. Magna exempla ad sublimia rapiunt, & ad scientiam, virtutem, ad heroica nos provehunt. Hinc in scholis & academiis nulla excogitari potest ratio, qua vehementius juvenes ad studia litterarum excitentur, quam æmulatio, qua factum est, ut quammulti summum assecuti sint doctrinæ, ac dignitatis gradum, magnamque in litteraria republica nominis celebritatem

§. 40. Antequam vero rem aliquam aggrediamur, ac æmulatione utamur, nosmetipsos prius agnoscamus necesse est, ut recte dimetiamur, quid nostri humeri ferre valeant, quid recusent, simulque ea impedimenta cognoscamus, tollamusque, quæ nostros progressus aut impedire, aut retardare possunt. *Nosce te ipsum* erat præceptum magnis litteris pro foribus Templi Delphici inscriptum: adeo ea cognitio a Græcis necessaria, utilisque habebatur.

§. 41. Hæc autem sui ipsius cognitio, quamvis prima fronte fortasse facilis videri possit, cum nosmetipsos continuo sentiamus, ac præ oculis habeamus, attamen quotidiana edocemur experientia, esse omnium difficillimam, cum generatim homines nihil magis, quam

semetipsos ignorent. Quod quidem ipse quoque Thales animadvertit: nam interrogatus, quænam esset res facilior, quænam difficilior, respondit: *alios admonere facillimum, se ipsum agnoscere difficillimum*.

§. 42. Duæ autem potissimum hujus ignorationis causæ sunt. Prima, quod *foras semper prospicimus*, ut ait Plutarchus *de animi tranquillitate*, nempe res nobis externas continuo contemplamur, ac fere numquam oculos, mentemque ad ea, quæ in nobis sunt, attente considerانda convertimus: altera vero, quod propria superbia, dum nos intuemur, efficit, ut semper oculos figamus in iis, quæ eidem blandiuntur, ab iis vero aveitamus, quæ eamdem frangerent, retunderentque. Et revera nonne pauci admodum sunt, qui suos defectus sibi perspectos esse demonstrent? Nonne contra plurimi reperiuntur, qui in aliis ea vitia redarguunt, quibus ipsi pariter infecti sunt? Quare quotidie audimus ab hominibus sordidis avaros, a superbis ambitiosos, a vindictæ cupidis iracundos vehementer reprehendi, objurgarique.

§. 43. Ad nosmetipsos igitur dignoscendos duo omnino necessaria sunt, nempe 1°. *mente vacua omni affectu de nobis judicemus oportet*. 2°. *frequenter, omnique attentione nos contemplemur necesse est*. *Faciebat hoc Sextius* (inquit Seneca de ira Lib. III. cap. 36) *ut consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur, quam tranquillus, altus ac liber, cum laudatus est animus, aut admonitus, & speculator sui censorque secretus cognoscit*

de moribus suis? Utor hac potestate, & quotidie apud me causam dico. Cum sublatum e conspectu lumen est.... totum diem mecum scrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo; quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cum possim dicere: Vide, ne istud amplius facias, nunc tibi ignosco.

§. 44. Juverit etiam, dum attentionem ad nos transferimus, varias personas induere, ac nos ipsos hoc fere modo interrogare: *Si in iisdem circumstantiis, in quibus est Franciscus aut Petrus, constitutus essem, quid agerem? Petrus, dum verba illa audivit, ira excanduit, Franciscus vero nullam perturbationem passus est; quid mihi in iisdem circumstantiis contigisset? Commune illud infortunium attulit Petro tristitiam, nullam vero Francisco, quamnam mihi, si in illa fuissem societate, attulisset?* Quod quidem examen duplicis erit utilitatis; nam non solum ut nostras propensiones, aversationesque detegamus, sed etiam ad eventus illos, si fors tulerit, ut nos præparemus, efficiet.

§. 45. Si vero nostri affectus ita altas in nobis radices egerint, ut fere in alteram naturam se converterint, non semper ad eos detegendos sufficiet examen illud, quod diximus, variasque personas induere. Cum enim animus attentione & reflexione utitur, sæpe nostris interrogationibus non respondet, quid facturus erat, sed quid ex rationis præceptis erat efficiendum. Tunc igitur certior, qua illos detegamus, erit via, si attente investigemus, quid a nobis præstari soleat tum cum ex mero habitu, nullaque deliberatione adhibita, operamur. Cum vero hoc contingat 1°. *in somniis*, 2°. *in distractionibus*, 3°. *in ludis*, diligenter somnia, distractiones, ludique consideranda sunt.

§. 46. Quod somnia nostras propensiones, aversationes, affectus prodant, ex eo confirmatur, quod sint vestigia præteritarum cogitationum, atque ut plurimum ea referant, quæ animus vigilans sæpius gesserit, aut cogitarit. (1) Quod autem distractiones nostros affectus detegant, nemo negabit, si animadvertat, eas esse somnia vigiliæ, atque ante oculos mentis illa objecta ferre, quæ vehementius appetuntur. Hinc iracundi suis in distractionibus ultionem, superbi præeminentias, ac dignitates, voluptuosi res jucundas, ac solatia, avari divitias contemplantur, ut quotidiana ostendit experientia. Tandem ludus semper habitus fuit opportuna occasio homines dignoscendi. Quare quotidie videmus, eos, qui iracundi sunt, dum ludunt, irasci fortunæ, & adversariis; avidos vehementer tristari, si lucrum non faciant, eosque ludos contemnere, in quibus multum lucrifacere nequeant; superbos, inanisque gloriæ cupidos multam sibi in ludo scientiam tribuere, facile alios reprehendere, pertinaciter suos defendere errores, irridere demum, atque insultare.

---

(1) *I sogni sono immagini,*
Che l'alma fabricò,
Quando tra i sensi vigili
Più libera pensò.

Frugoni.

CAPUT VI.

De Ira, Odio, & Antipathia.

§. 47. Iræ effectus funestissimi sunt. Alexander impetu iræ cariorem amicum Clytum sua ipse manu in convivio occidit; Lysimacum vero & ipsum carissimum feris damnat. Adrianus Imperator ira concitatus stilo servi sui oculum vulneravit, atque eruit omnino. Cn. Piso ira commotus tres innocentes occidi jussit, ut narrat Seneca lib. 1. *de ira cap.* 16. Plures eo etiam ira pervenerunt, ut non solum se ipsos percusserint, vel fauciaverint, sed etiam interemerint. Qui quidem funestissimi effectus licet iræ tribuendi sint, cum ad summum pervenit, attamen etiam, eum tantam intensitatem non habet, incommoda ex ea promanant gravissima & maxima in singulos, in familiam, in civitatem, in rempublicam, ut quotidiana ostendit experientia.

§. 48. Hæc mala Seneca contemplando esse iram *affectum contra naturam statuit*. „ Nunc „ quæramus (*inquit lib.* 1. *de ira cap.* 5.) an „ ira secundum naturam sit...? An secundum „ naturam sit, manifestum erit, si hominem „ inspexerimus, quo quid est mitius, dum „ in recto animi habitu est? quid autem ira „ crudelius est? Homine quid aliorum amantius, quid ira infestius? Homo in adjutorium mutuum generatus est: ira in exitium. Hic congregari vult, illa discedere: „ hic prodesse, illa nocere: hic etiam igno-

„ tis succurrere, illa etiam carissimos pete-
„ re: hic aliorum commodis vel impendere
„ se paratus est: ira in periculum, dummo-
„ do secum deducat alium, parata descen-
„ dere. Quis ergo magis naturam ignorat,
„ quam qui optimo ejus operi & commen-
„ datissimo hoc ferum ac perniciosum vitium
„ assignat? „

§. 49. Officium igitur cujuslibet hominis est, sin minus iram penitus eradicare, saltem intra eos limites coercere, ut ex ipsa mala non dimanent. Cui quidem officio facilius homo satisfaciet, si judicii vi & ratione iræ causas præveniat. Dum irascimur, vel irascimur 1°. *rebus inanimatis*, ut v. g. clavi, quæ statim ostium non aperiat, machinæ, quæ suo munere non bene fungatur &c., vel 2°. *animantibus*, ut equo, cani, qui nobis non obediat, vel 3°. *fortunæ*, cum res pro voto non cessit, vel 4°. *nobis ipsis*, ut nostræ manui vel pedi, cum hoc vel illud male operantur, vel 5°. *aliis hominibus*, cum injuriam aliquam nobis intulerunt. Causa autem, cur in hisce omnibus casibus irascamur, est plerumque abdita illa superbia, quæ in nos dominatur, quæque vellet, ut omnia nos magni facerent, nobisque parerent. Ea sublata, solus malorum sensus superesset, nullumque amplius ira locum sæpe haberet.

§. 50. Quantum rationis præceptis adversetur ira in quatuor prioribus istis, quos numeravimus, eventibus, nemo non videt. Etenim in primis nonne summa dementia est irasci inanimatis rebus vel animantibus, quæ ratione carent, quæque necessariis reguntur legibus, ac nulla libertate operantur? Deinde nonne fortuna est concursus rerum quoad nos fortuitus, cum prævisus non fuerit, sed

quoad universum necessarius, cum ex ordine universi necessario oriatur, qui eos effectus, quos producit, sine ulla libertate producit? Irasci igitur fortunæ idem est, ac irasci naturæ, quia suas leges pro nostra voluntate non immutaverit, quo nihil stultius excogitari potest. Tandem cum nobis ipsis irascimur, *abstractionis* ope dividimus nos metipsos in duas veluti personas, nempe in illam, quæ nobis injuriam intulit, ac in eam, quæ injuriam sentit. Sic cum manui, vel pedi maledicimus, quia prompte non obedierint, aut memoriæ, quia rem jam perceptam statim non repræsentet, consideramus pedem, manum, vel memoriam veluti personam a nobis distinctam, quæ injuriam intulerit. At manus, pes, memoria possunt ne voluntatem habere inferendi nobis injuriam? sunt ne aliquid reapse a nobis distinctum? Nonne proinde summa stultitia est iis irasci?

§. 5.. Nostra igitur ira videri non potest rationi consona, nisi quoad alios homines. Sed ut etiam quoad alios homines rationi consona videatur, plura concurrant oportet. Nam 1°. injuria nobis illata certa esse debet. Si enim adhuc incerta sit, præcipitare judicium & adversatur rationi, & gravissima mala sæpe gignit. 2°. Injuria illata ejus naturæ esse debet, ut nostram iram mereatur. Concitari enim, quia ille nos parum humane salutaverit, ille osculo nostro non adhæserit, aut quia parum agilis sit puer, aut tepidior aqua potui allata, aut turbatus thorus, est indulgere suspicioni & conjecturæ, fallacissimis nempe irritamentis, vel minimis, sordidisque rebus. 3°. Qui injuriam infert, consulto & ex animo inferendi nobis injuriam agere debet. Cur enim irascar, si quis v. g.

propter inopinatam convulsionem, in quam incidat, me percutiat, aut si quis in tenebris positus nihil tale cogitans me conterat? 4°. Non solum consulto agere, qui injuriam infert, sed etiam nullum jus habere debet, injuriam illam inferendi. Cum enim suo jure utitur, ut cum quis de aliquo munere cum æquali contendit, vel justa lite alium moratur, nullam juste irascendi occasionem præbet. 5°. Qui consulto, & sine ullo jure injuriam infert, ut a nobis antea lacessitus non fuerit necesse est Cum enim nos primi mordemus, cum primi injurias inferimus, nos ipsi causa sumus, cur alii nos mordeant, injuriisque afficiant, ac proinde nobis ipsis, si fieri posset, irascendum foret.

§. 52. Hos iræ, quæ rationi consona videri possit, characteres perpendenti statim palam erit, nos plerumque, dum aliis irascimur, injusta prorsus ira agitari. Nam, vix aliquis injuriam nobis illatam narrat, statim excandescimus, absque eo quod in primis perpendamus, an testis ille fidem mereatur, an injuria illa de ore in os delata adulterari potuerit; an gravis sit, vel levis; an injurius homo consulto, jure suo, vel quia a nobis provocatus fuerit, injuriam intulerit. Imo nostra injustitia eo usque devenit, ut semel ira concepta, nullis unquam rationibus ad eam abjiciendam impelli possimus. *Perseveramus*, (inquit Seneca Lib. 3. *de ira cap* 29.) *ne videamur cepisse sine causa: & quod iniquissimum est, pertinaciores nos facit iniquitas iræ; retinemus enim illam, & augemus: quasi argumentum sit juste irascendi graviter irasci.*

§. 53. At cum injuria omnes recensitos characteres habet, ideoque rationi consona videtur, est reapse rationi consona? expedit

felicitatem irasci? expedit ad dolores evitandos vindictam meditari?

Stoici, qui sapientem omnis perturbationis expertem esse jubebant, statim e suorum numero expunxissent, qui iræ, quæ rationi consonæ videretur, indulsisset. Recta Philosophia, quamvis eas primas querelas, eosque primos motus, qui reflexionem antecedunt, quique proinde ipsa ratione neque impediri, neque extingui possunt, condemnare non audeat; attamen ad dolores evitandos, ad feliciter vivendum, aperte docet, omnem iram, cujusque tandem generis sit, esse abjiciendam, statim ac consideratio locum habere potest. Et revera quam voluptatem procreare possunt illæ sollicitudines, & angustiæ, quæ perpetuo iram comitantur? Neque enim, ut in beneficiis honestum & dulce est, merita meritis rependere, ita injuriis injurias. Illic vinci & turpe est, & dolorem affert, hic vincere. Inhumanum verbum est, & quidem pro justo receptum *ultio*, & a contumelia non differt, nisi ordine. Hinc nisi vilem, barbaramque voluptatem afferre non potest. Quapropter sapientes quicumque viri summo semper in horrore iram habuerunt. Socrates in publica via accepta alapa, molestum esse ait, quod nescirent homines, quando cum galea esset in publicum prodeundum. Cato, cui agenti causam, quantum potuit, pinguis salivæ in mediam frontem expuit Lentulus, abstersit faciem, & affirmabo, inquit, omnibus, Lentule, falli eos, qui te negant os habere. Antigonus, cum milites quosdam audisset, qui sibi liberius maledicerent, caput extulit e tabernaculo, eosque amice monuit, ut discederent aliquanto longius, ne Rex exaudiret. Profecto hæc, aliaque hujusmodi exempla ata-

tum omnium commendatione digna, semper ostendent ac monebunt, magni animi, & ad felicitatem properantis esse injuriis non affici, ac permoveri.

§. 54. Huc accedit, quod inest semper in ira, etiamsi rationi consona videatur, imbecillitas: nam iracundia vinci infirmi animi est, abjecti, & pusilli: videmus idcirco eam cadere in fœminas, ægrotos, senes, avaros, miseros, intemperantes, aliosque generis ejusdem. Quo fit, ut ira nominetur a Seneca *lib.* 1. *de ira cap.* 16. *muliebre maxime, & puerile vitium*. Hinc comparantur iracundi cum mure, formica, fele, musca, vipera, catello, aliisque animantibus, quæ ut infirmiora, & timidiora sunt, ita facilius commoventur, & pungunt, & si possint, quemlibet mordent.

§. 55. Iræ continuatio, ac perseverantia id constituit, quod proprie *odium* dicitur (Psych. §. 95.) Si ergo officium cujuslibet hominis est iram sin minus prorsus eradicare, saltem intra eos limites coercere, ut ex ea mala non dimanent (§. 49.) idem a fortiori de odio dicendum erit. Et cum ad felicitatem parandam, doloresque vitandos expediat numquam irasci (§. 53) tum multo magis ad id conferet omne prorsus odium expellere.

§. 56. Quædam odii species considerari solet *antipathia*, illa nempe aversatio quorumdam hominum, quæ in nobis excitatur, cum primum illos videmus, alloquimurque. Hæc aversatio, uti etiam *sympathia* ab idearum associatione oritur; ut jam Logicæ §. 47. explicavimus, & ut aperte ostendit Cartesius, qui semper sympathiam erga torvos oculos expertus fuit, quod prima persona, quam

amaverat, torvos habebat oculos. De hac odii specie statim patet, quid sentiendum sit. Cum enim internæ hominum qualitates, non accidentalis corporis forma, nostras appetitiones, aversationesque ex rationis præceptis excitare debeant, manifestum est, cujuslibet hominis officium esse, antipathiam tollere, omnique cura eradicare.

CAPUT VII.

De Cupiditatibus generatim.

§. 57. Cupiditates præcipuam humanæ infelicitatis partem constituere unumquemque sua monet experientia. Quod qui fiat, non facile intelligi posse videtur. Cum enim cupiditates oriantur ex amore vel præteriti, vel futuri boni (Psych. §. 95), doloris causa esse non posse videntur, cum nihil doloris in se contineat boni cognitio, & amor. At si animadvertamus, quod cupiditates memoriam & imaginationem excitant, ac nobis causa sunt, cur præterita ac futura bona, tanquam si in sensus agerent, persæpe intueamur, non difficile intellectu erit ex pugna illa, quæ inter memoriam & imaginationem ex una parte ac inter sensationem ex altera reperitur, necessario esse dolorem consecuturum. Memoria enim, & imaginatio, dum bona præterita ac futura veluti præsentia referunt, nos ad momentaneam eorumdem possessionem ducunt. Contra sensatio, dum nos certiores reddit de eorumdem bonorum absentia, bona illa nobis rapit eo fe-

re temporis momento, quo imaginatio, ac memoria ad eorumdem possessionem nos duxerant. Ex perpetuo igitur transitu a possessione ad amissionem bonorum perpetuus oritur dolor, quo certe careremus, si cupiditates in nobis extinguerentur.

§. 58. Magnum tamen intercedit discrimen inter cupiditates præteriti, ac futuri boni. Primæ enim omnem spem excludunt, cum fieri nequeat, ut præteritum non sit præteritum. Alteræ vero cum spe plerumque conjunguntur. Hinc primæ semper dolorem afferunt, cum perpetuus ille transitus a possessione ad amissionem bonorum, in quo dolor consistit, nulla unquam spe cohibeatur. Aliæ autem, si tanta cum spe conjungantur, ut transitum illum impediant, voluptatem gignunt, ac futuri boni possessionem anticipant. Hominis igitur ad felicitatem properantis officium erit, omnem in eo operam ponere, ut cunctas ab animo præteriti boni cupiditates avellat, cupiditatibus autem futuri boni ita indulgeat, ut dolores fugiat.

§. 59. Dolores autem fugiet 1°. si diligenter caveat a cupiditatibus eorum bonorum, quæ proprias vires excedunt, quæque proinde nullo fundamento sperare potest; 2°. si ab iis cupiditatibus abstineat, quæ licet spem non excludant, attamen immoderato numero aut contemporaneo, aut successivo opprimunt. Cum enim harum cupiditatum propria sit perpetua sollicitudo & anxietas, cum primum animum occupaverint, quasi tempestatum æstu illum perturbant, nec sinunt eum frui quieta, liquidaque voluptate. Exemplo sint, qui in infimo statu constituti statum commodum concupiscunt. Ad statum commodum cum pervenerint, opulentiam desi-

derare incipiunt. Opulentiam adepti ad honores, & dignitates oculos convertunt, qui proinde ex una cupiditate transeunt ad aliam, mox ad aliam, nec quiescunt unquam, imo progrediendo vehementius incitantur & exardescunt, quibus miseriorem arbitror esse neminem.

§. 60. Maximi itaque interest ad felicitatem consequendam cupiditatum numerum intra justos limites coercere. Quatuor ad classes cupiditates omnes referri possunt. Aliæ in ea bona tendunt, quæ ad vitam tuendam sunt *absolute* necessaria, ut cibi cupiditas, potus, vestium, quibus teguntur corpora. Aliæ ea bona respiciunt, quæ absolute necessaria non sunt, sed tantum *relative*, ut v. g. cupiditas, quam habet quilibet homo in societate constitutus, decenter juxta suum statum vivendi. Aliæ in ea bona feruntur, quæ ad suum conservandum statum necessaria non sunt, sed tamen si adsint, commoditatem afferunt. Aliæ tandem ad ea bona diriguntur, quæ suum ad statum decenter, & commode conservandum supervacanea sunt, quæque proinde alium ab eo, in quo sumus, statum respiciunt. Quam nobis necessariæ sunt vel *absolute*, vel *relative* cupiditates primæ & secundæ classis, atque etiam laudandæ, quæ ad tertiam pertinent, dummodo tranquillæ, ac pacatæ sint; tam vituperandæ ac fugiendæ quæ ad ultimam classem spectant.

§. 61. Erit autem contra inanes has cupiditates generale remedium attenta consideratio illius incrementi felicitatis, quod bona nostro statui supervacua afferre possunt. Hac enim consideratione clare percipiemus, bonis supervacaneis nihil ex una parte nostram

felicitatem augeri, ex altera vero eorumdem cupiditates causam esse, cur felicitatem, qua perfrui possemus, amittamus. Cum Pyrrhus arma pararet ad Romanos vincendos, Cineas interrogavit: Victis Romanis quid deinceps agemus? In Italiam bellum inferemus, respondit Pyrrhus. At devicta Italia, rursus interrogavit Cineas, quid agemus? Ad vicinam Siciliam nos convertemus, iterum respondit Pyrrhus. At debellata Sicilia, erit hic belli finis, ait Cineas? Neutiquam ait Rex, sed Lybiam, Carthaginem, Ægyptum, Persiam, totumque Orbem subjugabimus. At toto Orbe devicto, quid tandem agemus, quæsivit Cineas? Contenti ac tranquilli dies ducemus, tandem respondit Pyrrhus. Tunc Cineas: Sed quid prohibet, o Rex, quominus statim contenti, ac tranquilli dies ducamus? An strages, ruinasque in totum Orbem invehere oportet ad illam felicitatem comparandam, quæ jam in tua sita est potestate? Ad hanc Cineæ conclusionem nos ducet, quam supra indicavimus, consideratio.

CAPUT VIII.

De Cupiditatibus divitiarum, scientiæ, gloriæ, dignitatum, dominationis, ac voluptatum.

§. 62. A cupiditatibus generatim considératis ad eas peculiariter perpendendas transeamus. Prima, quæ sese nobis offert, est cupiditas *divitiarum*, quæ communis est. Omnes enim homines sunt appetentes, & percupidi divitiarum, atque acceptissimos eam ob causam habent dignitatis gradus quæstuosos. Hæc porro quam vehemens

fit appetitio, declarant exantlati a plerisque labores, curæ ad exaggerandam rem familiarem, quoad ejus fieri potest, susceptæ, ac tandem innumera crimina, in quæ homines auri cupiditate labuntur. *Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames?* jam cecinit Virgilius lib. 3. *Æneid.*

§. 63. Ideo autem homines tam vehementer divitias appetunt, quod sibi suadent, divitias esse primarium felicitatis elementum, imo eas sufficere ad felicitatem consequendam; nempe ita cum Horatio lib. 2. *Satyr.* 3. ratiocinantur:

. . . . Omnis enim res
Virtus, fama, decus, divina, humanaque pulchris
Divitiis parent: quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens etiam, & rex
Et quidquid volet.

Hinc putant auro felicitatem emi, eosque omnes, qui divites sunt, contentos, ac tranquillos vivere, hoc est, felicitate frui.

§. 64. Quam autem falsa sit hæc hominum opinio, plura argumenta demonstrant. Etenim divitiæ 1°. non explent, sed augent habendi sitim, cum verissime dictum sit a Juvenale *Saty.* 14. *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.* Quamobrem reperiuntur, qui cum nunquam satis habere se putent, propter vehemens, inflammatumque studium ampliorum copiarum fraudant, decipiunt, pauperes circumveniunt, quæstum cogitant etsi turpem, nunquam quæsito contenti sunt, quibus ego mi-

feriorem arbitror esse neminem. 2°. Vehementer augent mortis metum: oportet enim eum casum summopere perhorrescas, quo scias, tibi omnia, quæ habes plurima, eademque carissima, sic brevi ereptum iri, ut tua inopum conditioni par omnino sit. 3°. arrogantiam, insolentiam, superbiam pariunt, ac fovent. Qui enim in opum gloria constituti sunt, non modo regi ac obedire nec volunt, nec possunt, sed multo altius efferuntur, quam deceat, ex quo innumeri oriuntur dolores.

§. 65. Sed nullum argumentum majoris roboris est, quam comparatio ab Helvetio instituta (1) divitis cum homine in mediocritate bonorum constituto. Indigentias famis, sitis, somni, aliasque hujusmodi uterque communes habet, atque ex viginti quatuor horis, quibus conflatur dies, uterque decem aut duodecim insumit ad hisce indigentiis satisfaciendum. Quod cum sit, vel nullum inter utrumque habetur discrimen, vel si aliquod intercedat, felicior dicendus est homo in mediocritate bonorum positus. Nam licet divitis cibi exquisitiores sint, attamen, cum sapor sit relativus, pendeatque ab habitu, ac præsertim a fame, quæ generatim minor est in divite, ob fere nullum corporis exercitium, majorem ex cibo percipit voluptatem homo bonis mediocris, quam dives, ut quotidiana etiam demonstrat experientia. Decem igitur aut duodecim diei horæ cuilibet homini, qui necessariis non careat, æque felices sunt. Remanent aliæ duodecim, aut qua-

(1) *De l'Homme, des ses facultés intellectuelles &c.*

tuordecim, quæ intercedunt inter indigentias, quibus ab utrisque satisfactum fuit, ac novas, quæ renascuntur. Has dives in otio ut plurimum insumit, alter in re aliqua operanda. Jam vero uter hoc horarum intervallo minori dolorum numero tangitur? uter idcirco felicior dicendus est? dives tædio, alter labori subjacet. Tædium consistit in longa serie sensationum indifferentium, ac proinde semper dolorem affert. Contra labor non semper dolorem gignit. Quamvis enim dolore eos afficiat, qui vel inviti illum suscipiunt, vel supra vires, ac nulla interposita mora illum exercent, attamen si liber, moderatusque sit, habitu facilis fit, veramque creat voluptatem. Tunc enim ad tædium fugandum, molestas cogitationes avertendas, corpus exercendum, ac sanitatem non modo servandam, sed etiam ad acquirendam plurimum valet. Cibum quoque sapidiorem, somnum dulciorem reddit. Hinc homo in mediocritate bonorum constitutus his duodecim, aut quatuordecim diei horis & tranquilla, ac temperata gaudet voluptate, & dolores omnes evitat, quos tædium, molestæque cogitationes progignunt. Contra dives vel perpetuo tædio cruciatur, cum otio marcescit, vel ad dolorem avertendum aliquem laborem suscipit, nempe non divitis conditionem, vitamque imitatur.

§. 66. Patet igitur turpissime errare homines, dum divitias ad felicitatem ducere sibi suadent. Patet nihil esse sapientius, nihil magis rectæ Philosophiæ ac felicitati consentaneum pulchra illa oratione: *Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi* (Proverb. *cap.* 30. *v.* 7.)

§. 67. Scientiæ cupiditas est præ omnibus laudanda, nihil enim laudabilius est, quam excolere, ac perficere rationem, illud nempe, quod a Deo accepimus, maximum donum. Quare ad hanc cupiditatem magis magisque excitandam ea commoda intueri præstabit, quæ ex scientia dimanant. Homo enim, qui scientia rationem excolit, perficitque 1°. cæteros homines dignitate antecedit, solidam, firmamque gloriam sibi comparat cum apud omnes, tum maxime apud sapientes, & potest prodesse quamplurimis, & non se modo sapienter regere, sed & aliis præesse, & gradum obtinere cum dignitate. 2°. liquidam, præclaram, omnibusque aliis anteferendam percipit voluptatem. Et quidem quæ voluptas comparari potest cum ea lætitia, qua Archimedes exsultavit, cum Hieronis Syracusarum Regis problema solvit: vel qua Pythagoras cum adinvenit illud hecatombe dignum theorema de potestate hypothenusæ in angulo hortogonio? Neque Alexander cum Darium, neque Cæsar cum Pompejum, neque Octavius, cum Antonium vicit, tanta voluptate perfusus est. Quod quidem ex eo amore repetendum, quo unusquisque seipsum amat. Ex hoc enim amore necessario consequitur, ut nulla voluptas tam cara sit, ac tanti æstimetur, quam quæ cum incremento æstimationis, quam de se unusquisque habet, conjungitur. Hinc illi, qui hanc delectationem sentiunt, reliquis omnibus voluptatibus anteponunt: nam ut rerum lectioni, & animo rerum cognitione excolendo vacent, ludis libenter abstinent, theatris, familiaritatibus, inanibusque colloquiis, conviviis etiam, & epulis, quibus alii tantopere delectantur. 3°. suam explet curiositatem, quæ

nobiscum nascitur, ut in ipsis pueris videre est, qui, statim ac in iis sese exerit rationis usus, proni sunt ad interrogandum, cur hoc sit, vel non sit. Porro si in rebus etiam minimis, nulliusque utilitatis curiositatem explere, tam magnum bonum reputatur, ut ipsi pueri, incultique homines illud vehementer appetant, quid dicendum erit de scientia, quæ in rebus magni momenti, ac sæpe magni usus curiositati satisfacit? 4°. tandem quidquid pulchri est in alienis inventis, & operibus, videt, admiraturque, ex quo singularem capit voluptatem. Quamvis enim pulchrum semper & ubique delectet, attamen in ingenii operibus majorem vim habet ad alliciendum, tum quia voluptati, quam pulchrum per se gignit, admirationis voluptas additur, tum quia majorem, ut percipiatur intelligentiam exspostulat, ac proinde semper auget æstimationem, quam de se habet, qui illud agnoscere, atque æstimare valet.

§. 68. Quamvis vero scientiæ cupiditas tam utilis, tamque laudanda sit, tamen ratio præcipit, ut illam rite regamus. Ac 1°. officium cujuslibet hominis est animum ab iis studiis avertere, quibus ineptum se agnoscit, quod ad ea se opportuno tempore ac necessaria exercitatione minime compararit. 2°. Quantum fieri potest, eam eligere studiorum rationem, quæ propriis affectibus, ac temperamento magis accomodata est, cum in illa studiorum ratione majori attentione uti possit, ideoque magis proficere. 3°. in quolibet studiorum genere semper fugere *vanitatem*, quæ tamen est scopulus, cui litterati homines plurimum impingunt, ac *contentiones*, *lites*, & *inimicitias*, quæ scientias & literas omnino deturpant. Excellentia, qua viri do-

cti ignorantes antecedunt, nonnullis litteratis viris caussam præbet, cur intumescant, & æstimari, laudarique vehementer desiderent; aliis autem, cur contentiones, lites, ac simultates magna litterarum labe moveant, foveantque. At si primi non ad ignorantes, sed ad eos, qui longe majoribus cognitionibus pollent, quique icciroo majori excellentia præditi sunt, oculos converterent, intumescere amplius non auderent, neque tantum sibi laudis arrogarent. Alii vero, si probe perciperent, lites & contentiones non modo sui ipsius æstimationem, sed etiam veritatem convellere atque obscurare, eas quam diligenter declinarent. Itaque litteratus homo ac philosophus nunquam amore contradicendi in alios insurget, sed cum res id expostulet, alienos errores confutabit, modeste tamen, soloque veritatis amore, atque ab aliis impetitus quanta poterit moderatione se defendet, si veritatem pro se stare viderit, ingenue vero suum errorem fatebitur, seque corriget, si se erraſſe cognoverit. Præ oculis habebit Newtonum, ac Fenelonem doctiſſimos, celeberrimosque viros. Ille enim a Joanne Bernoullio reprehensus, quod erraſſet in viribus centralibus resistente in medio dimetiendis, neque respondit, neque suam sententiam defendit; sed in nova editione, quæ tunc sub prælo erat, *Principiorum mathematicorum*, sese emendavit. Alter vero aliquantula amaritudine a cl. Boſſuetio accusatus non solum correxit, verum etiam dicta publice retractavit. Si se ita geſſerit, non minus litteris, quam moderatione hominum laudem, æstimationemque sibi comparabit.

§. 69. Communis hominum laus atque æstimatio *gloriam* constituit, quæ generatim est

solum præmium præclaris hominum actionibus constitutum. Diximus *solum præmium*: nam licet Principes leges sanciverint, quibus, præter communem vituperationem, pœna aliqua afficerentur vitiosæ, noxiæque actiones; nullas tamen, aut fere nullas statuerunt, quibus magnæ, ac præclaræ præter communem laudem, æstimationemque, præmio aliquo donarentur. Hoc tamen præmium tantam vim in homines habet, ut nonnulli sola gloriæ cupiditate incitati mirifica prorsus præstiterint. Ac profecto Epaminondas Thebis, Licurgus Spartæ, Themistocles Athenis, Horatius, Scevola, Brutus, Manlius, Camillus, Fabricius, Fabius, Scipio, & Cato Romæ, cum tot præclara atque admiranda gererent facinora, nihil aliud nisi gloriam pro præmio sibi proposuerunt.

§. 70. Sed distinguenda est 1º. gloria a *fama*. Gloria enim vel requirit actiones magnas, præclaras uti vitam pro patriæ salute imminentibus periculis objectare, suam gentem magnis inventis illuminare, novas artes invenire &c. vel si actiones ita magnæ, ita præclaræ non sint, requirit, ut eo magis multiplicentur quo magis ab illa magnitudine ac præstantia distant. Contra fama requirit actiones, quæ in hominum oculos generatim incurrant, valeantque hominem ad aliorum cognitionem perducere, cujuscumque generis ipsæ sint vel bonæ, vel malæ. Hinc fama vel est *bona* vel *mala*, ac proinde etiam demens ille homo, nempe Herostratus, qui Ephesi Templum adussit, famam sibi comparavit. Huic vero famæ semper oblivio anteferenda est.

§. 71. Distinguenda 2º. est gloriæ cupiditas a *vanitate*. Nam homo vanus omnia arti-

ficia etiam viliora adhibet, ut laudem obtineat. Contra gloriæ cupidus non artificiis, sed magnis meritis ad communem hominum laudem, æstimationemque pervenire conatur, quo certe conatu, si humana respiciamus, nihil laudabilius excogitari potest. Hinc quantum est vanitas vituperanda, tantum gloriæ cupiditas commendanda est: ac proinde, ut olim Græci ac Romani, in pueris hanc cupiditatem excitare, ac fovere totis viribus enitemur.

§. 72. Homines, qui gloriæ cupiditatem sentiant, pauci admodum sunt: plerique enim non ad gloriam, sed ad dignitates animum convertunt. Hæc cupiditas, etsi aliquando ad præclaras actiones excitet, attamen & sæpe hominum generi funesta est, ut Marius, Sylla, Pompejus, & Cæsar inter Romanos manifeste ostendunt, & semper magis, minusque dolorem creat. „ Se io potessi odiar „ qualcheduno (*inquit Abbas Trublet*) o de„ siderar di vederlo infelice, io gli desidere„ rei dell' ambizione. Questa passione è da „ temersi più di tutt' altra, perchè la più ar„ dente, la più ostinata, la più insaziabile, „ perchè i felici avvenimenti son rari, o dif„ ficili, le cadute orribili, e frequenti; per„ ch' ella è costretta in mille occasioni a com„ battere infino e sacrificar se stessa per so„ disfarsi. Non vi ha cosa più amara a un „ uomo ambizioso, che il doversi umiliare: „ eppure quante volte non è egli costretto „ ad avvilirsi per arrivare alle sue mire? Non „ vi ha disprezzo, ch' egli non soffra, non „ affronto, che non divori, nulla è sì basso, „ ed abietto, e servile, a cui non discenda; „ nulla sì obbrobioso ed infame, che pur „ non faccia talvolta per ottenere il suo fi-

„ ne. Chiunque brama avidamente di essere „ più che non è, ed opera a seconda di questo desiderio, è misero doppiamente: misero, perchè scontento, e sdegnato, e intolerante del proprio stato, e misero molto più per le pene e inquietudini infinite, „ che gli cagiona ciò, ch'egli adopera per „ sollevarsi „.

§. 73. Quod de dignitatum, idem de dominationis cupiditate dicendum. Etenim dominationis cupiditas, si diligens analysis instituatur, in hoc consistit, quod major hominum numerus nostræ voluptati inserviat. Reapse igitur est cupiditas voluptatis. At qua voluptate fruitur, qui dominationem desiderat? Ea, quæ adhibet, ut majorem voluptatum numerum sibi comparet, non solum plures dolores pariunt, sed sæpe etiam in causa sunt, cur eas amittat voluptates, quæ jam in sua potestate sitæ erant. Similis igitur est cani illi æsopico, de quo Phædrus (*Fabul. lib.* 1. *fabul* 4.), qui ut plus acquireret, stulte dimisit, quod jam possidebat.

§. 74. Dum vero dignitatum, ac dominationis cupiditates generatim improbamus, non in ea sententia sumus, ut ad felicitatem consequendam cujuslibet dignitatis, aut dominationis cupiditas semper extinguenda sit; cum fieri possit, ut aliqua dignitas, vel dominatio, si ea bene utamur, honestaque via illam obtineamus, ad nostram conferat felicitatem. Itaque duntaxat improbamus 1°. illos homines, qui vel res solum utiles propria aviditate sibi necessarias reddunt, vel infelices fiunt nimio rerum tantum utilium studio: 2° illos, qui ea munera ambiunt, quæ vel propriis humeris accomodata non

sunt,

sunt, vel eos infelices probabiliter reddent. 3°. tandem eos, qui ut id obtineant, quod cupiunt, artificiis & abjectionibus utuntur, nempe iis viis incedunt, quæ hominibus ad vilia natis solum innotescunt.

§. 75. Restat, ut de voluptatis cupiditate agamus. Cupiditas voluptatis ex ipsa hominis *sensibilitate* necessario dimanat. Statim enim ac homo sentit, cum voluptate se sentire cupiat necesse est. Quia vero voluptates aliæ sunt *innocuæ*, *perniciosæ* aliæ, videndum modo est, quænam ad felicitatem ducant.

§. 76. Omnes voluptates vel sunt *animi*, vel *corporis*. Voluptates animi sunt eæ, quæ originem habent ab animi viribus intelligentibus, uti est verum invenire, pulchrum in naturæ, aut artis, aut ingenii operibus contemplari, propriam honestatem sentire, virtutem exercere &c. Hæ voluptates non solum innocuæ, sed puræ, veræ, perfectæ sunt, quare qui ad felicitatem properat, omnem in eo diligentiam adhibebit, ut illas sibi reapse comparet, ac memoria & imaginatione sæpe ad mentem revocet.

§. 77. Idem vero dicendum non est de corporis voluptatibus, quæ nempe originem habent ab impressionibus in corpore factis. Hæ enim instar rosarum pungunt, nisi solerter capiantur. Voluptas v. g., quam gignit cibus & potus usque ad certum gradum innocua est; si hunc prætergrediaris, quia in cibi quantitate aut qualitate pecces, teterrima tibi mala pariet. Pariter voluptas, quam creat ambulatio, equitatio, venatus, choreæ, ludi &c. ad certum usque gradum innocua est, nam ubi in hisce voluptatibus capiendis vel modum excedas, vel illud tempus teras, quod utiliora requirerent, perniciosa fit.

§. 78. Nulla vero corporis voluptas tot mala producit, quot venerea. Ea elegantissime more suo describit Plautus in prologo Mercatoris, quæ operæ pretium facient adolescentes in eamdem proclives, si attente considerent. Nam quemcumque hæc voluptas arripit

Magno, ac solido multat infortunio,
Nec pol profecto quisquam sine grandi malo.
Plus quam res patitur studuit elegantiæ.
Sed amori accedunt etiam hæc, quæ dixi minus?
Insomnia, ærumna, error, terror, & fuga
Ineptiæ stultitiæque adeo, & temeritas,
Incogitantia excors, immodestia,
Petulantia, cupiditas, & malevolentia
Inhæret & aviditas, desidia, ignavia,
Inopia, contumelia, & dispendium.

ETHICÆ

LIBER II.

De Homine, ut in societate constituto.

§. 79. VIx homo cum aliis generatim hominibus societatem init, statim percipit, eos quoque esse sibi natura similes, eos quoque esse debiles & indigentes, eos quoque eodem felicitatis amore arripi, incendique. Hinc statim intelligit, quod cæteri homines idem prorsus jus ad felicitatem consequendam habent, ideoque quod sibi neque beneficia tribuent, nisi is quoque aliis benefaciat, neque a se lædendo abstinebunt, nisi is quoque ab aliis lædendis abstineat. Et æqualitas igitur juris ad felicitatem consequendam, quam in cæteris hominibus reperit, & ipsa propria felicitas, quæ illi præcipit, ut aliorum hominum ope propriis indigentiis satisfaciat, illum evidenter edocent. 1°. *Alteri esse faciendum, quod sibi factum vellet*, ac 2°. *Alteri non esse faciendum, quod sibi factum doleret*, *quæ præcepta naturæ* dicuntur, quæque explicabimus in secundo, ac tertio hujus Libri capite, postquam in primo demonstratum fuerit, homines natos esse ad societatem inter se invicem ineundam.

§. 80. Vix vero homo advertit, eos, quibuscum vivit, esse sibi peculiari vinculo conjunctos, ac inter se, & illos peculiares in-

tercedere relationes, quæ ad cæteros homines se non extendant, statim intelligit, hisce hominibus non solum esse faciendum, quod sibi factum vellet, & non faciendum, quod sibi factum doleret, sed præterea ex peculiaribus illis relationibus peculiaria oriri officia, quæ cæteros homines non respiciant. Nos in quarto hujus Libri capite de officiis inter *amicos*, in quinto de *officiis parentum in filios*, *filiorum in parentes*, *fratrum in se invicem* tantum agemus, cum elementorum angustiis impediti omnes hominum peculiares relationes contemplari nequeamus.

§. 81. Quia vero omnia officia, ac præsertim ea, quæ ad societatem spectant, rite sine prudentia præstari nequeunt, hinc sextum addemus caput, in quo de prudentia sermo erit.

CAPUT I.

De Societate generatim.

§ 82. Hobbesius fatetur quidem homines alios aliis indigere, maxime pueros, senes, & ægrotos, sed negat, eos ad societatem a natura esse comparatos. Quinimo contendit, homines esse invicem sibi naturaliter infensos, cum voluntas lædendi omnibus in statu naturæ insit, cum nempe societatem nondum instituerant. Hinc eo philosophante naturalis hominum conditio est status belli omnium contra omnes, in quo singuli ad illud perpetuo intenti sunt, ut alios seu vi, seu fraude, seu quovis alio modo præoccupent.

§. 83. Russojus non ita ferocem ac bellicosum hominem e Creatoris manibus prodiisse asserit, sed mitem, benignum, omniumque virtutum seminibus a natura instructum esse; ipsum autem in societate depravari, in vitiaque pronum fieri contendit. Unde concludit, hominem a natura destinatum esse, ut belluarum instar in sylvis, in agris, in cavernis vitam ageret segregem, in quibus ab omni labe se purum servaret.

§. 94. Utroque hoc systemate, quantum humanæ naturæ dignitas deprimatur, nemo non videt. Primum enim homines belluis pejores fingit, alterum parem homini, brutisque animantibus conditionem attribuit. Hominem natum esse ad societatem cum aliis hominibus ineundam 1°. ex ipsa hominis conditione manifesto elucet. Varias enim hominis ætates per'ustra, & eum nunquam sibi sufficere, sed aliorum ope semper indigere comperies. Si eum in puerili ætate inspicias, qua ratione tenellus infans vitam servare posset, nisi sedula parentum cura ipsum foveret, regeret, aleretque? (1) Si in adolescentia eum cernas, parentum, aliorumque

(1) „ La maggior parte degli animali son „ più avvanzati per l'età del corpo all'età „ di due mesi, che non è un bambino all' „ età di due anni; sicchè un tempo dodici „ volte maggiore richiedesi per la fisica edu- „ cazione di questo. Anzi ei perirebbe sen- „ za dubbio, qualora fosse abbandonato a se „ medesimo innanzi all'età di tre anni. *Buffon. Stor. Nat. Tom. I.*

hominum consiliis destitutus, quid nisi ferox quoddam animal esset diversas animi, & corporis facultates ignorans? Si virilem ætatem attendas, tibi occurrent generatio, prolisque educatio, & communis liberorum cura, quæ omnia patrem inter & matrem vitæ consortium, idest societatem requirunt. Tandem in senectute eadem, quæ in infantia, sese offert corporis imbecillitas, eadem infirmitas. In ea igitur, sublata hominum societate, humi procumbens, variis morbis, miseriisque confectus, nullis remediis sublevatus, nullis cibis recreatus durissima fame extingueretur. 2°. Apertissime colligitur ex ipsa experientia. Ubicumque enim reperti sunt homines, semper in aliqua societate reperti sunt, ut historiæ omnes testantur. Hinc apposite Seneca *de Beneficiis lib.* 4. *cap.* 18. inquit: *Quo alio tuti sumus, quam quod mutuis juvamur officiis? Hoc uno instructior vita, contraque incursiones subitas munitior est, beneficiorum commercio. Fac nos singulos, quid sumus? præda animalium & victima, ac vilissimus, & facilissimus sanguis. Quoniam cæteris animantibus in tutelam sui satis virium est: quæcunque vaga nascuntur, & actura vitam segregem, armata sunt. Hominem imbecillitas cingit, non unguium vis, non dentium terribilem cæteris facit. Nudum, & infirmum societas munit. Duas res dedit, quæ illum obnoxium cæteris, validissimum facerent, rationem, & societatem. Itaque qui par esse nulli posset, si diduceretur, rerum potitur.*

§. 85. Societas tamen, ad quam ineundam nati sunt homines, semper eadem non fuit. Primis temporibus filiorum suorum paterno naturalique jure patres erant principes, & domini. Cum enim filii procreati se ipsos educare nequeant, eorum educationem ab aliis suscipi oportet. Nulla autem est ratio, cur

aliis potius, quam parentibus filiorum educandorum cura committatur; quare ad parentes pertinet jus filios educandi, eosque ad virtutem formandi, ac dirigendi; illud autem jus *patria potestas* dicitur. Adulti filii, & in ætatem provecti patriæ potestati manebant subjecti, ac tacito veluti consensu eamdem, cum qua nati erant, & creverant, auctoritatem agnoscebant, neque ullum erat minoris, majorisque ætatis discrimen. Itaque a primis Mundi temporibus viguit *societas paterna*, in qua parentes erant filiorum *principes naturales, ac politici*. Porro cum longævi fuerint primi parentes, in tanta senectute facile potuerunt relinquere filios prudentiæ suæ hæredes, qui familiam sapienter gubernarent, & concesso a fratribus jure regerent. Crescente familiarum numero nulla dubitatio esse potest, quin familiæ illæ ad tuendam pacem, servandamque communem utilitatem pro sua naturali libertate unum elegerint, qui gubernandis crescentibus familiis magis idoneus judicabatur. Hanc primævi regiminis formam retinent Americani Populi a Peruvii, Mexicique Imperiis longius dissiti: sua enim fruuntur naturali libertate, ac modo Principem instituunt defuncti Principis hæredem, modo autem eum, quem magis prudentem, magisque magnanimum existimant, sufficiunt. Hinc ortum habuit *societas familiarum*, & *imperia civilia*, in quibus principes veluti magistratibus, ducibusque similes credi possunt. Hæ tamen societates, hæc imperia initio angustis admodum limitibus circumscribebantur, cum ex vetustissimis scriptoribus constet, in uno eodemque populo plures extitisse reges. Quod confirmatur etiam ex sacra Scriptura *cap.* 10. *Geneseos*, ubi

de Nimrod legitur: *& ipse cepit esse potens in terra.* Hæreditatis postea jure, partisque bello & victoria ditionibus, aut etiam populorum consensu, & voluntate creverunt societates, & imperia, in quibus si summa potestas & potentia civilis sit penes unum, eorum forma dicitur *Monarchia*, seu *Regnum*, si sit penes optimates, *Aristocratia* vocatur, si penes populum, *Democratia*.

§. 86. Sed qui Hobbesio favent 1°. opponunt societatem juri naturali adversari, ideoque hominem ad societatem natum non esse. 2°. ex societate nasci conditionum inæqualitatem, cum tamen homines jure naturali sint om es æquales. 3°. ex societate contingere, ut quidam fiant tyramni, quidam servituti mancipentur, ut alii sint opulenti, alii omnium egeni, ideoque injustam prorsus esse societatem.

Verum hæc argumenta nullius esse ponderis perpendenti facile apparet. Et quidem societatem in primis juri naturali non adversari, ex eo constat, quod ea ad hunc finem instituta sit, ut facilius & tutius jus naturale observetur. Quamvis enim generaliora juris naturalis principia facile cuilibet homini innotescant; luctuosa tamen experientia patet, homines variis cupiditatibus esse obnoxios, quæ juri naturali & bono publico essent plurimum nocituræ, si ipsis habenæ permitterentur; unde eo potissimum consilio instituta est societas, ut cupiditates arctis legibus quodam veluti fræno coerceret.

Inæqualitas conditionum, quæ ex societate oritur, juri naturali non opponitur. Nam cum deprehendissent homines necessarium esse, ut alter regeretur ab altero, partem suæ libertatis concesserunt, quo tutius alteram

retinerent. Ut enim cujusque jura serventur illæsa, omniumque saluti prospiciatur, coercendæ sunt cupiditates, violentiaque omnis comprimenda, quod fieri non poterat, nisi unius, vel multorum imperio sese homines subjecissent. Hinc conditionum inæqualitas, quæ non minus legitima est, quam ipsæ, ex quibus derivantur, conditiones. Neque homines hoc sensu jure naturali sunt æquales, ut contra hominis naturam sit conditionum inæqualitas. Sunt enim apud homines legitimæ quædam causæ, propter quas alter ab altero pendeat. 1°. Ipsa nascendi conditio parentibus liberos submittit, idque omni tempore, & loco natura docuit. 2°. Potuerunt homines vigente adhuc primæva libertate, eam regiminis formam instituere, quam omnium utilitati magis consentaneam judicaverint: atqui nulla potuit admitti regiminis forma, quin constituerentur aut principes, aut magistratus legum vindices, quibus cæteris parendum esset. Homines igitur non sunt jure naturali æquales eo sensu, quod ipsorum natura non permittat, ut alter ab altero pendeat. Itaque eo tantum sensu omnes homines sunt jure naturali æquales, quod communem habeant naturam, originem, ac destinationem. Omnes enim acceperunt mentem intelligentia, & voluntate præditam, omnes eumdem auctorem agnoscunt, omnes ad eamdem felicitatem destinati sunt. Unde fit ut genus humanum sit veluti ingens familia per totum orbem diffusa, cujus omnia membra ejusdem naturæ cognatione quasi fraternitatis vinculo colligantur.

Tandem ex societatis abusu, non ex ipsa natura societatis factum est, ut quidam sua abutentes auctoritate alios servitutis jugo sub-

jecerint. Si enim primas societatis origines repetamus, palam erit deprehendere, supremam auctoritatem regibus & principibus ea tantum conditione fuisse creditam, ut populos non suo nutu & arbitrio, sed æquis legibus gubernarent. Pariter si contingit, ut quidam divitiis affluant, quidam vero dura paupertate premantur, abusus est, qui socialem constitutionem deformat, non autem vitium ipsius naturæ illigatum. Præterea cum cives plurimi sua culpa in egestatem sese conjecerint, injustum prorsus esset, illud incommodum societati imputare. Si qui ergo abusus in societatem irrepserint, non ipsa accusanda est, sed culpandi sunt homines, qui rebus etiam optimis abutuntur.

§. 87. Qui Russojo adhærent, contra societatem hæc præcipue afferunt 1°. inquiunt societatem felicitati adversari. 2°. societatem cupiditatibus præbere originem. 3°. societatem officere valetudini: nam corpus in statu solitudinis robustius, ac valentius est, & ex commercio societatis tamquam ex pestifero fonte infiniti propemodum morbi dimanant.

At ex his pariter nullo modo confici potest hominem natum non esse ad societatem cum aliis hominibus ineundam. Nam in primis falsum est, societatem felicitati adversari. Et revera illud felicitati non adversatur, quod legibus sapientissimis agendi rationem civium ad bonum commune dirigit, omnesque impellit ad implenda sua erga Deum, erga se ipsum, cæterosque homines officia: atqui id efficit societas, non vero æqualitatis status, in quo pro suo quisque arbitrio vitam instituerect. Hinc si veteres, ac recentiores historias perlegamus, compertum erit, multos populos formam quidem regiminis commu-

tasse, nullum vero invenies, qui omnem prorsus societatem abjecerit: persuasum igitur habuerunt semper homines, hanc vel illam regiminis formam felicitati non esse accommodatam, nunquam vero societatem in se consideratam.

Falsum pariter est, societatem cupiditatibus præbere originem. Cupiditates enim suam in pectore humano sedem habent, & originem, nobiscum nascuntur, & adolescunt. Imo societas cupiditates coercet: statuit enim leges, statuit præmia, pœnasque, quæ ad reprimendas cupiditates mirifice valent.

Si vero interdum societas civilis deteriorem efficiat hominis conditionem, malum est ab ipsius natura prorsus alienum, hominumque pravitati tribuendum. Homines enim ea mente societatis civilis fœdus inierunt, ut conjunctis viribus mutuæ felicitati commodius allaborarent. Cum autem optima quæque pravis hominum affectibus corrumpi soleant, deinceps accidit, ut homines secum invicem colligati non tantum vitæ necessaria, sed ea etiam, quæ vividiorem voluptatis sensum provocant, studiosius inquirerent. Inde emolliti animi, inde enervatæ corporis, mentisque facultates, inde luxuriæ pestis tot morbos, tot calamitates in genus humanum invexit. Ne tamen inde concludas, societatem civilem ex natura sua humanæ felicitati nocere: extiterunt enim, atque hisce quoque temporibus existunt civitates bene moratæ, e quibus exulant, quos deploravimus, abusus. Huc accedit, vitam solitariam, cujus commoda tantopere extollunt adversarii, incommodis longe gravioribus obnoxiam esse, a quibus homines liberat societas civilis. Esto enim: ho-

jecerint. Si enim primas societatis origines repetamus, palam erit deprehendere, supremam auctoritatem regibus & principibus ea tantum conditione fuisse creditam, ut populos non suo nutu & arbitrio, sed æquis legibus gubernarent. Pariter si contingit, ut quidam divitiis affluant, quidam vero dura paupertate premantur, abusus est, qui socialem constitutionem deformat, non autem vitium ipsius naturæ illigatum. Præterea cum cives plurimi sua culpa in egestatem sese conjecerint, injustum prorsus esset, illud incommodum societati imputare. Si qui ergo abusus in societatem irrepserint, non ipsa accusanda est, sed culpandi sunt homines, qui rebus etiam optimis abutuntur.

§. 87. Qui Russojo adhærent, contra societatem hæc præcipue afferunt 1°. inquiunt societatem felicitati adversari. 2°. societatem cupiditatibus præbere originem. 3°. societatem officere valetudini: nam corpus in statu solitudinis robustius, ac valentius est, & ex commercio societatis tamquam ex pestifero fonte infiniti propemodum morbi dimanant.

At ex his pariter nullo modo confici potest hominem natum non esse ad societatem cum aliis hominibus ineundam. Nam in primis falsum est, societatem felicitati adversari. Et revera illud felicitati non adversatur, quod legibus sapientissimis agendi rationem civium ad bonum commune dirigit, omnesque impellit ad implenda sua erga Deum, erga se ipsum, cæterosque homines officia: atqui id efficit societas, non vero æqualitatis status, in quo pro suo quisque arbitrio vitam instituerct. Hinc si veteres, ac recentiores historias perlegamus, compertum erit, multos populos formam quidem regiminis commu-

tasse, nullum vero invenies, qui omnem prorsus societatem abjecerit: persuasum igitur habuerunt semper homines, hanc vel illam regiminis formam felicitati non esse accommodatam, nunquam vero societatem in se consideratam.

Falsum pariter est, societatem cupiditatibus præbere originem. Cupiditates enim suam in pectore humano sedem habent, & originem, nobiscum nascuntur, & adolescunt. Imo societas cupiditates coercet: statuit enim leges, statuit præmia, pœnasque, quæ ad reprimendas cupiditates mirifice valent.

Si vero interdum societas civilis deteriorem efficiat hominis conditionem, malum est ab ipsius natura prorsus alienum, hominumque pravitati tribuendum. Homines enim ea mente societatis civilis fœdus inierunt, ut conjunctis viribus mutuæ felicitati commodius allaborarent. Cum autem optima quæque pravis hominum affectibus corrumpi soleant, deinceps accidit, ut homines secum invicem colligati non tantum vitæ necessaria, sed ea etiam, quæ vividiorem voluptatis sensum provocant, studiosius inquirerent. Inde emolliti animi, inde enervatæ corporis, mentisque facultates, inde luxuriæ pestis tot morbos, tot calamitates in genus humanum invexit. Ne tamen inde concludas, societatem civilem ex natura sua humanæ felicitati nocere: extiterunt enim, atque hisce quoque temporibus existunt civitates bene moratæ, e quibus exulant, quos deploravimus, abusus. Huc accedit, vitam solitariam, cujus commoda tantopere extollunt adversarii, incommodis longe gravioribus obnoxiam esse, a quibus homines liberat societas civilis. Esto enim: ho-

mines feri, qui vitam segregem in sylvis agant, rubustiores sint, a plurimisque morbis immunes. At certe, ipso Genevensi cive teste, neque ingenium disciplinis liberalibus excolunt, neque facultates morales evolvunt. Nullam, si eidem fides adhibeatur, distinctam habent veri & falsi, justi & injusti notionem, nullum Creatori cultum exhibent, in præsentibus toti nec præterita recordantur, nec futura prævident, denique toto vitæ decursu brutis animantibus haud adsimiles videntur. Quis vero societatis incommodis ita moveatur, ut turpissimam hanc conditionem invideat?

CAPUT II.

De primo naturæ præcepto: Alteri feceris, quod tibi factum velis, *ac de Beneficientia*.

§. 88. Si æqualitas juris, quam quilibet homo ad felicitatem consequendam habet, & propria cujuslibet hominis felicitas præcipiunt, alteri esse faciendum, quod sibi quisque factum vellet (§. 79.), illud necessario consequitur, teneri homines sese invicem adjuvare, non solum quoties id præstare possunt suo sine damno & incommodo, verum etiam cum aliquo damno & incommodo, ubi gravis necessitas urgeat. Ac revera quisque, dum gravi necessitate premitur, vehementer desiderat, ut sibi cæteri homines etiam suo cum damno & incommodo auxilium præbeant. Igitur ex statuto præcepto idem erga alios ipse quoque præstare debet.

Quæ obligatio patet etiam ex effectu, quem in nobis alienorum malorum creat intuitus. Vix enim aliena mala, quæ gravia sint, intuemur, jam statim nobis obversantur mala, quæ nos ipsi pertulimus, statimque fremitus quidam in nobis excitatur, qui efficit, ut patientis hominis personam induamus; ut cum illo nos *identificemus*, ut fere eumdem anhelitum experiamur, ut impellamur ad illum adjuvandum, non secus, ac nos ipsos in simili eventu adjuvaremus. Quid autem hic fremitus est, nisi viva naturæ vox, quæ nos jubet illud auxilium alienis malis afferre, quod nos eadem in navi positi optaremus, nempe aliquod etiam nostrum damnum, & incommodum negligere? Homo duntaxat, qui barbarus omnino sit, fremitum illum in se extinguere, ac placido, tranquilloque oculo aliena gravia mala intueri potest.

§. 89. Aliis auxilium præbere, vel sine damno & incomodo, vel etiam cum aliquo damno, & incommodo, si necessitas urgeat, *humanitas* dicitur, quæ primum *beneficientiæ* gradum constituit. Ubi definit humanitas, ibi alii initium habent beneficientiæ gradus, qui diversi inter se meriti sunt pro diversa *qualitate*, & *quantitate* beneficii, quod tribuunt, ac pro *diversis circumstantiis* tum eorum, qui benefaciunt, quam eorum, qui beneficio afficiuntur.

§. 90. Qualitas beneficii ex ipsa beneficii natura pendet. Porro qui vitam alterius tuetur, beneficium tribuit longe majus, quam qui alterum in minori indigentia adjuvat, & qui tribuit beneficium, quod in totam hominis vitam influat, longe magis benefacit, quam qui beneficium dat, quod ad breve tempus perduret.

§. 91. At majus beneficentiæ meritum ex *circumſtantiis eorum, qui benefaciunt*, dimanare ſolet. Nam quo majus eſt incommodum, quod ſubeunt, ſeu quo majorem ſibi vim inferunt, ut benefaciant, eo certe magis merentur. Ita qui unum tantum panem habet, & quamvis fame prematur, illum tamen dividit, ut alteri eſurienti medietatem tribuat, magis meretur, quam qui mille aureos ſibi ſuperfluos tribuat. In hoc tamen divites id commodi habent, ut ſcilicet quo minus in benefaciendo incommodum experiuntur, ac proinde ex hac parte minus ſibi meritum comparant, poſſint eo magis beneficia multiplicare, eaque majora reddere, ac proinde ex hac altera parte ad idem meritum pervenire.

§. 92. Huc ſpectat benefacere inimicis, ingratiſque hominibus, quod certe beneficentiæ meritum quam maxime auget. Cum enim qui inimicis, ingratiſque hominibus benefacit, maximam ſibi vim inferre debeat, magnum ac generoſum animum prodit, ideoque maximum ſibi meritum comparat.

§. 93. Quoad *circumſtantias eorum, qui beneficio afficiuntur*, 1°. eo majus eſt beneficium, quo plures perſonas compectitur, ut per ſe patet. 2°. eo majus eſt beneficium, quo magis ii, qui beneficio afficiuntur, eodem digni ſunt, nam beneficientia generoſa quidem eſſe debet, ſed non cæca. Hinc Hennjus ajebat: *Benefacta male locata, malefacta arbitror*. Quare cum beneficium plures perſonas complecti nequit, habendus eſt delectus in beneficio tribuendo, ac proinde propinqui alienis, cives peregrinis, noti ignotis, benemerentes iis, quibus nulla gratia devincti ſumus, pauperes locupletibus & fortunatis, ſi cætera paria ſint, præferendi ſunt, atque ſi

prævideatur, fore ut beneficium malefacta foveat, immoderatas v. gr. compotationes, superbiam, incontinentiam, scurilitatem, contumelias &c. beneficio tribuendo abstinendum est; tunc enim tribuere beneficium idem est, ac alicui arma suppeditare in plurium hominum perniciem. Optime igitur Cicero *de offic. lib.* 1. *cap.* 14. ajebat: *Videndum est, ne obsit benignitas & iis ipsis, quibus benigne videbitur fieri, & cæteris*.

§. 94. Ceterum beneficentiæ meritum pendet etiam ex *ratione*, qua benefacimus, & ex *fine*, quo benefacimus. Qui in dando beneficio hilarem alacremque se præbet, qui cito dat, omnique mora sublata, cum possit, ulla sine exprobatione, ac reprehensione, nec ullam a beneficio affectis clientelam, aut submissionem exigit, is certe quidem hisce de causis magis meretur. Pariter qui in beneficio tribuendo ostentationem suamque utilitatem, aliumve minus rectum finem semper abhorret, majus sibi meritum comparat. Ex quo patet, eum, qui benefacit aut propter solam ostentationem, aut propter solam utilitatem, omnem beneficentiæ fructum amittere. Primus enim *vanitate*, alter *commodi & emolumenti* cupiditate ad benefaciendum impellitur.

§. 95. Veræ beneficentiæ ac liberalitati duo extrema opponuntur, *prodigalitas*, & *avaritia*. Quod opponatur avaritia per se patet. Dubium fortasse erit, an opponatur etiam prodigalitas. At dubium statim evanescet, si animadvertamus 1°. quod prodigalitas, cum benefaciat nulla servata mensura, nulloque habito delectu, plerumque malis benefacit, quod tantundem est, ac malum bonis inferre. 2°. quod prodigalitas a rapinis diutius abstinere difficiliter potest. Homo enim pro-

digus, cum sua profuderit, impellente consuetudine & habitu, aut aliena aperta vi rapiet, aut fraudem turpiter adhibebit. Hinc Cicero *de Offic. Lib.* II. *cap.* 12 ajebat: *Sequuntur largitionem rapinæ. Cum enim dando egere ceperint, alienis bonis manus afferre coguntur . . . . Quamobrem nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit, nec ita reseranda, ut omnibus pateat. Omnino meminisse debemus id, quod a nostris hominibus sæpe usurpatum, jamque in proverbiis consuetudinem venit.* Largitionem fundum non habere.

CAPUT III.

De altero naturæ præcepto: Alteri ne feceris, quod tibi factum doleas.

§. 96. Si æqualitas juris, quam quilibet homo ad felicitatem consequendam habet, & propria cujuslibet hominis felicitas præcipiunt etiam, alteri non esse faciendum, quod quisque sibi factum doleret (§. 79.), illud necessario fluit, nullum hominem in iis, quæ sua sunt, esse lædendum, cum quisque doleat in iis lædi, quæ ad se ipsum spectant. Cum autem quæ propria cujuslibet hominis sunt, referantur *ad personam, ad substantias, & honorem*, hinc officium cujuslibet hominis erit, alios neque in persona, neque in substantiis, neque in honore offendere.

§. 97. Ad *personam* quod attinet, quatuor sunt, quæ nos impellere solent ad injuriam

in persona aliis inferendam, *paupertas*, *ebrietas*, *ira*, & *impotentia*. Paupertas publicos facit grassatores, sicarios, piratasque. Sed, præterquamquod nulla paupertas, etiamsi extrema sit, jus in alterius personam concedere unquam potest, raro contingit, paupertatem, quæ ad hæc delicta rapit, vacare culpa. Otium, inertia, laboris horror, ludus, crapula, licentia plerumque caussæ hujus paupertatis sunt; quæ proinde temperantia, labore, antequam in habitum transeat, diligenter est expellenda. *Ebrietas*, si præter voluntatem omnino sit, omnemque auferat rationis usum, si ad aliorum personam offendendam impellit, culpa caret. Sed plerumque ebrietas non est præter intentionem, cum ejus periculum fere semper prævideatur, ac proinde fere semper damnanda sit. Hinc Pittacus, quo magis ebrietatem horrerent homines, delicta in ebrietate patrata esse dupliciter punienda sancivit. Apud nonnullas nationes publica ignominia ebrii inurebantur, quod merito factum est, cum nullum sit vitium, quod tam hominis dignitatem inhonestet, tamque illum brutis animantibus deteriorem faciat, quam ebrietas. *Ira* quoque antecedens considerationem culpæ verti non debet, si personam offendat; in ea enim homo sine libertate agit. Raro tamen fit, ut primus iræ motus tam rapide hominem ad agendum impellat, ut sibi conscius non sit rei, quam operatur. Semper, aut fere semper tantum illi temporis intervallum relinquit, ut advertere, ac deliberare possit: proindeque ira semper, aut fere semper criminosa est. Tandem *impotentia* semper damnanda, omnique diligentia vitanda est. Impotentia originem habet ex ma-

jori vi, qua homo se præditum sentit. Ex hac enim majori vi excitatur ad alios injuriis afficiendos, sibique subiiciendos; quod quotidie vel pueri ostendunt, qui continuo debiliores offendunt, sibique subiiciunt. Hic virium abusus in magnis Imperiis magnos edidit tyrannos, multosque in hominum societate pauperum debiliumque oppressores creat. Qui profecto abusus tam communis in hominibus est, ut Hobbes veluti *naturæ instinctum* illum habuerit; quamvis perperam prorsus; cum natura *sensibilitatis*, rationisque voce nos quotidie doceat, hominis nomine indignum esse, qui suis majoribus viribus utitur ad sibi similes opprimendos. Stimulus autem ad impotentiam exercendam esse solet fiducia illa, qua nullum damnum, nullumque periculum ex ea nobis oriturum putamus. Sed præterquamquod plurima funestæ memoriæ exempla fiduciam istam convellunt, ratio ipsa docet, malum inferre tam facile esse, ut quivis etsi debilis, vilis, tenuis sit ac mendicus, possit, dummodo velit, aut citius, aut tardius illud inferre. Nisi enim sufficiant vires, uti potest astutia, & fraude: ac si minus manu potest lingua valere: ideoque semper est vindicta timenda.

§. 98. Nunc ad *substantias*. Violentia & fraus duo illa sunt, quibus perversi homines aliena usurpant Violentia non præceptis Philosophorum, sed catenis, carceribusque cohibenda est. Fraus autem sequentibus præceptis reprimenda. 1°. Homini non solum unquam usurpare non licet, quod certo scit ad alios pertinere, sed ne ullum quidem dominium sibi vindicare in rem, quam alienam esse dubitat, donec omne prorsus dubium a-

moveatur. (1) 2°. Cum de re litigiosa agitur, potest quilibet suas proferre rationes, propriisque uti juribus, dnmmodo viis honestis, sincerisque semper incedat. Hinc semper oppressio, dolus, artificia damnanda sunt, cum nemo aliena debilitate, aut stultitia, aut inconsiderantia abuti debeat, atque ea, quæ inhonestis mediis acquiruntur, semper iniqua ac ignominiosa habenda sint 3°. In emptionibus, aut venditionibus, aut permutationibus semper bona fides vigeat oportet: atque ideo neque qui vendit, emptoris aviditate, aut ignorantia, ut plus æquo vendat, neque qui emit, venditoris necessitate aut imperitia, ut minus æquo emat, uti debet (2) Similiter abesse debet omnis dolus in mensuris, in ponderibus, in mercium qualitatibus (3), in pecunia, aliisque hujus generis.

---

(1) Dyonisius Syracusarum tyrannus, ut barbam auream, qua Æsculapii statua ornata erat, Jovisque paludamentum aureum sibi haberet, hoc velamen suo furto quæsivit, ut diceret, dedecere, Æsculapium filium imberbis Apollinis barbam habere, aureum vero paludamentum Jovis nimis grave esse æstate, nimisque frigidum hyeme. Quot reperiuntur homines, qui ut aliena diripiant, ejusmodi velaminibus utuntur?

(2) Q. Scevola, cum emere vellet fundum, ac venditor minus æquo expostularet, sponte addidit prætio venditoris centum millia sestertia, ut testatur Cicero de *Off. Lib.* 3. *cap.* 8.

(3) Quoad mercium defectus, si manifesti tantum sint venditori, nec emptor mediocri attentione eas detegere possit, certum est,

4°. In promissis & contractibus semper bon fides servanda est, omnisque ambiguitas re movenda, ne ulla controversia, aut incerti tudo deinceps oriatur. 5° Nummi, aut re quælibet in fænore posita eum tantum fru ctum afferat necesse est, quem leges præscri bunt, ita ut semper absit usura. 6°. Qui su laboris mercedem petit, plus æquo non petet sicuti etiam qui operis mercedem solvere te netur, minus æquo non dabit. 7°. Qui depositum recipit, aut res alienas administrat, illud fideliter custodire, has autem ita administrare debet, ut neque detrimentum patiantur neque in proprios usus cum possessoris præjudicio traducantur. 8°. Cum damnum alteri aut dolo, aut culpa illatum fuit, religiose reparandum est, nisi damno affectus remittat. 9°. Omne donum, aut promissum, quod occasionem præbere possit, ne nostro munere recte fungamur, est omnino reijciendum (2)

venditorem ad illos manifestandos teneri, idque pluribus in locis a legibus ipsis præscribitur. Sin vero emptor mediocri attentione possit hos defectus detegere, non videtur teneri venditor ad illos manifestandos, quidquid contra sentiat Cicero *loc. cit.* Id unum tantum cavere debet, ne vel artificium adhibeat, ut hos defectus abscondat, vel ignorantia aut oscitantia emptoris utatur, ut plus æquo rem vendat.

(2) Curius Samnitibus, qui illum auro corrumpere conabantur, ostendit propriam cœnam, quæ ex rapis tantum parata erat, eisque dixit: *Non indiget auro, qui hac cœna contentus est.* Idem dixit Xenocrates Alexandri nunciis. Fabricius non solum Pyrrhi dona rejecit, sed etiam ei vinctum misit Medicum

10°. Ipsæ quoque hæreditates testamento acquisitæ honestæ non sunt, si malis artificiis, eorumque damno, ad quos legitime spectabant, obtineantur, ut etiam docet Cicero *de Offic. lib.* 3. *cap.* 8 (1)

§. 99. Ad *honorem* progredimur. Superbia, quæ vel aperte, vel clanculum in homines pervadit, facile nobis suadet, ut vel libenter eos audiamus, qui alios deprimunt, vel nos ipsi libenter dedecus aliis inferamus. Quod tunc facilius etiam nobis suadet, cum aliorum defectus ita repræsentare possumus, ut eorum qui audiunt, risum excitemus: tunc enim laus, quam relaturos esse speramus, magis nos sollicitat, impellitque ad alios in-

---

qui Fabricio suam operam obtulerat ad venenum Pyrrho parandum.

(1) Sed necessitas honestum ne reddit aliena usurpare, suumque in usum convertere?

Ad sui ipsius conservationem quilibet jus habet; ac si dum fame, sitique languet, nulla alia ratione suæ indigentiæ satisfacere posset quam usurpando aliena, posset quidem citra culpam tot bona aliis auferre, quot ad præsenti indigentiæ satisfaciendum requiruntur. Necesse tamen est, ut *industria* & *labore*, si his uti possit, vel aliorum opem implorando, si industriam & laborem adhibere nequeat, prius frustra tentaverit, sibi comparare, quæ necessaria sunt. Dixi *industria* & *labore*, si his uti possit; nam culpa non vacat, qui industria & labore posset sibi necessaria comparare, & tamen ea sibi comparet mendicando. Tunc enim vere egenis ea auxilia vel omnino aufert, vel minuit, quæ ab humanis hominibus ipsis destinantur.

famandos. Quantum dicta, quæ risum excitant, præsertim si arguta ac subtilia sint, aliorum æstimationi, honorique noceant, ex eo patet, quod unum tantum ex hujusmodi dictis iis exitio fuerit, in quos prolatum est. Homo igitur honestus obtrectationem vitabit. Nunquam laudem in aliis deprimendis inquiret: ac pro certo habebit, obtrectatorem, neque ab iis, qui ejus dictis delectantur, in pretio haberi. Illud etiam reputabit, ex obtrectatione certe inferri posse, ea qui delectetur plurimis vitiis laborare: nam ex alienis defectibus voluptatem capere nequit nisi qui plurimis ipse scateat. Itaque officium cujuslibet hominis est. 1°. nunquam verbis injuriosis præsentes petere, hoc enim non solum inhonestum, sed inurbanum omnino est. 2°. nunquam alios irridere, nisi fortasse amicos, quod tamen plenum urbanitatis sit oportet. 3°. absentibus nunquam detrahere, nam iis detrahere, qui cum absentes sint, se purgare nequeunt, vile, & iniquum est. 4°. cavere, ne ea referat, quæ contra bonam aliorum famam audierit, præsertim si testes, ex quibus illa accepit, omnem sibi fidem non mereantur. Hac in re plurimi peccant: sibi enim suadent, se vacare culpa, cum ea referunt, quæ audierunt, perinde ac omnis obtrectatio in primos tantum auctores cadat, nullumque damnum a testibus auritis aliorum æstimationi inferri possit. Uno verbo officium cujuslibet hominis est, bonam aliorum famam, veluti majus eorum bonum considerare, semperque judicare, minus malum aliis inferri, si in persona, vel in substantiis quam in honore lædantur.

CAPUT IV.

De officiis inter amicos.

§. 100. Cum amicus juxta Zenonem, & Pythagoram sit *alter ego*, prorsus patet, benevolentiæ, & conjunctionis gradum inter amicos longe majorem esse, quam qui ex officiis humanitatis, & beneficientiæ inter cæteros homines reperitur, ideoque amicorum officia saltem omnia ad cæteros homines non extendi. Hæc antequam exponamus, operæ pretium erit, illas dotes recensere, quibus amici præditi sint oportet, ne in illorum delectu aberremus.

§. 101. Prima autem dos est *maxima honestas*, cum amicitia adjutrix virtutum a natura data sit, non comes vitiorum. Hanc autem honestatem, quamvis Joannes Porta, Lavater, & de la Sale ex signis physiognomonicis dignosci posse contenderint, tutius tamen ex repetitis sermonibus dignoscemus. Hinc si ex repetitis sermonibus nobis constet eum, cum quo amicitiam conjungere volumus, de justo & injusto, de licito & illicito recte sentire, ac principia pro circumstantiarum varietate non variare, ac instar venti non agere, & maledicum, aut assentatorem non esse, honestatem præseferre putabimus.

§. 102. Altera autem dos est *prudentia*. Cum enim amicus tenere ac custodire nostra arcana debeat, si minus prudentia polleat, ea facile manifesta faciet, quo nobis incommodo erit, damnoque. Hinc nunquam conglu-

tinanda est amicitia vel cum insulsis insipidisque hominibus, qui præter voluntatem sæpe fidem non servant, vel cum loquacibus, verbosisque, qui deficiente materia ea revelant, quæ erant silentio premenda, vel cum iis tandem, qui res alienas ad aures nostras secreto deferre in deliciis habent: eodem enim modo, quo nobis aliena referunt, ne aliis nostra referant, valde timendum est.

§. 103. Præter has dotes in amicis seligendis omnino necessarias, animadvertendum est 3°. an is, cum quo parare amicitiam volumus, excultus sit, scientiaque præditus; ut non solum nos instruat, edoceatque, verum etiam recreet, ac voluptate afficiat. 4°. an idem habeat vitæ institutum. Qui enim sunt in eodem vitæ genere, se invicem facilius juvare possunt, ideoque cæteris paribus, si optio detur, cum illis potius, quam cum aliis est amicitia ineunda. 5°. an ætatis, conditionisque æqualitas habeatur. Cum enim studia, corporisque habitus juvenum, ac senum nimis inter se differant, cumque diversæ vitæ conditiones diversas excitent cupiditates, inter homines diversæ ætatis, & conditionis raro amicitia perseverat. Si omnes, quas diximus, dotes in eodem homine reperiantur, ille erit omnibus præferendus, cum eoque præ cæteris erit amicitia conjungenda. Si minus vero omnes reperiantur, quod plurimum contingit, pro amico erit ille seligendus, qui earum dotum majorem numerum habeat.

§. 104. His autem de amicorum delectu præstatutis, facile definiri poterunt amicorum officia. Et revera, cum *honestas*, & *prudentia* primæ esse debeant amicorum dotes (§. 101., & 102.), primum etiam, præcipuumque amicorum officium constituent: quare ami-

amicus amicum nunquam inhoneſtate, aut imprudentia offendet, cum primum horrendum, alterum damnandum omnino ſit.

§. 105. Cum vero benevolentiæ, & conjunctionis gradus inter amicos longe major ſit, quam qui ex officiis humanitatis, & beneficentiæ inter cæteros homines reperiatur (§. 100.), ſecundum amicorum officium erit talis mutuus amor, taleque mutuum auxilium, ut ab illo amore, & auxilio fere non diſcrepet, quo nos ipſos amamus, atque adjuvamus. Quod tamen non eſt ita intelligendum, ut amicorum amore ad ſcelera rapiamur. Cum enim amicitia adjutrix virtutum a natura data ſit, non comes vitiorum, ſceleſtiſſimi ſunt ii, qui, ne amicitiæ renuntient, amico vires ad vitia & crimina ſuppeditant. Itaque ſi amicus poſtulet, ut vel libidinis miniſter, vel comes & adjutor ſis ad injuriam, atque peccatum, conſtanter abnuendum, repudiandaque eſt petentis impudentia aut lenius, aut durius, prout res fert: quoniam, etſi qui tale aliquid petit, niſi obſequaris, queratur, deſertum jus eſſe amicitiæ; tamen non iccirco minus peccas, niſi repugnes: ut enim peccat, qui poſtulat, ita qui aſſentitur iniqua poſtulanti.

§. 106. Ex hoc autem ſecundo officio tertium conſequitur, quod ſitum eſt in ſpontanea ſinceritate cum in admonitionibus & reprehenſionibus, tum in conſiliis. Quilibet honeſtus homo, cum illum interrogamus, ſincere quid ſentiat, reſpondere debet. At amicus ob deſcriptum mutuum amorem, mutuumque auxilium etiam non interrogatus admonere, reprehendere, ac conſilia dare debet, ſi iis amicus indigere videat. In quo tamen omni ſolertia utatur oportet. Cum enim

proprius amor reprehensionibus nimis commoveatur, atque instar oculi pupilla, tangi non possit, quin offendatur, maxima solertia reprehensiones, admonitiones, & consilia adhibenda sunt. Hinc seligenda tempora magis opportuna, nonnunquam instar dubii ea, quæ correctione indigent, proponenda, ac semper ea artificia adhibenda, quibus amicus per se errorem deprehendere possit.

§. 107. Cum vero vinculum, quo amicitia præcipue augetur, diuque conservatur, sit mutua voluptas, mutuaque utilitas, quartum amicorum officium erit, id omne præstare, quod hanc mutuam voluptatem, mutuamque utilitatem fovere potest. Hinc criminationibus, & querelis de amicis facile non præbebimus aurem, sed eorum, præsertim absentium, famam summo studio contra calumniatores defendemus. Hinc amicos numquam ipsi criminabimur, nec facile de iis conqueremur. Si quid vero contingat, de quo amicos admonitos velimus, illud servabimus vetus dictum: *Secreto amicos admone, lauda palam*. Hinc tandem amicorum voluntatibus, cum innocentes sunt, annuemus, nunquam plus quam deceat ab iis exigemus, omnesque nostras voluptates, si fieri possit, cum ipsis dividemus.

§. 108. Tandem si aliqua justa ratio nos impellat ad amicitiam dissolvendam, ultimum amicitiæ officium erit, id sine strepitu, ac clamoribus, omnique cum decentia efficere. Optimum est, quod tradit Cicero *de Offic. Lib.* 1. *cap.* 40. hac in re præceptum: *Amicitias, quæ minus delectent, & minus probentur, magis decere censent Sapientes sensim dissuere, quam repente præcidere.*

CAPUT V.

De Officiis parentum in filios, filiorum in parentes, ac fratrum in se invicem.

§. 109. Ipsa naturæ vox parentes edocet, eorum in filios officia esse 1°. *filios alere*, ac 2°. *eos educare*. Eos proprio matris lacte esse alendos, non alienis uberibus tradendos eadem natura docet, quæ mulieri dedit, quidquid ad munus illud requiritur. Præterea matris, non secus ac liberorum interest, ut eos ipsa nutriat. Matris quidem, quod nisi fecerit, nimia affluentis lactis copia graves sibi morbos accerset: liberorum autem, quod magnam partem habeat in corporibus, animisque fingendis ingenium nutricis, & natura lactis. Quod enim arbusculis contingit, ut scilicet ad mutandam eorum indolem plurimum valeant aquæ, & solum, quibus nutriuntur, hoc multo magis in pueris locum habet. Quare si frequenter accidit, ut arbor læta & nitens alium in locum translata deteriori terræ succo depereat; non minus accidit, ut parentum bonorum liberi neque corpore, neque animo eis similes existant, cum ipsis plerumque adhibeatur nutrix vitiosa.

§. 110 Sed de educatione præcipue parentes solliciti sint oportet, atque ideo, ne pravis suis moribus liberos ad imitationem pronos pertrahant in vitia, curare maxime debent. *Maxima*, inquit Ethnicus Poeta, *pue-*

ris debetur reverentia. Cum natura ſimus earum rerum tenaciſſimi, quæ rudibus annis percipiuntur; maxime cavendum eſt, ut pueri nibil, niſi bona ac recta videant, legant, audiant, quorum memoria uſque ad ſenectutem eos perſequitur. Quam ob cauſam a famulorum conſortio, quantum fieri poteſt, removeantur. Nihil eſt enim tam tenerum, nihil tam flexibile, tam, quocumque incli-naveris, cereum, quàm puerorum mentes. Plurimum igitur eſſet periculi, ne cereis illorum animis multa imprimerentur indecora, & obſcæna, ſi inter famulos verſarentur, qui plerumque corruptis ſunt moribus.

§. 111. Quænam ſit optimæ educationis ratio, non conſentiunt inter ſe multi auctores, qui hac de re ſcripſerunt. Nos in ea ſententia ſumus, optime ſe gerere parentes illos, qui dum in pueris corpus vigere, ac ratio evolvi incipit [quod circa octavum ætatis annum contingere ſolet) domeſticæ publicam educationem anteferunt, ac proinde filios ſeminariis, collegiiſque educandos tradunt, donec ad eam ætatem pervenerint, quæ publicæ educationis regulas ac diſciplinam ægre ferre, atque jugum excutere incipit. Tunc enim præſtat, eos ad privatam educationem rurſus revocare. Ac revera ſi uſque ad hujuſmodi ætatem publice educentur, non ſolum immunes erunt ab iis omnibus vitiis, quæ famuli, congreſſionum licentia, ſpectacula, aliaque hujuſmodi primis annis facile inſinuant; verum etiam eorum corpus apta exercitatione majorem firmitatem acquiret, perficieturque; ſpiritus vero accomodatis jocis recreabitur, atque æmulationis ope in diſciplinis magis proficiet.

§. 112. Cum autem privatæ educationi rursus restituuntur, hæc ab educatore omni diligentia servanda sunt. 1°. curabit, ne alumnus fræni, habenarumque impatiens fiat: quare firmitate, ac constantia fretus justo moderatoque rigore semper utetur. 2°. omnem curam adhibebit, ut quæ imperat, alumnus non tam timore, quam amore incitatus exequi properet. Quod quidem obtinebit, si non impetu, ac cupiditatibus, sed ratione imperitet; si constantissimus in iis exigendis, quæ præstanda omnino sunt, vel in iis negandis, quæ sunt omnino omittenda, facilis eodem tempore in iis concedendis sit, quæ rectæ educationi non adversantur; si tandem non solum exprobrare, ac castigare, sed etiam laudare, ac præmia pro opportunitate dare sciat. 3°. non solum de progressu in scientiis sollicitus erit, verum etiam de moribus formandis, temperandis, corrigendis. Hinc alumno exempla proponet ad imitandum ex profanis, præsertim vero sacris scriptoribus deprompta: semperque vitabit, ne facta verbis dissentiant, pravisque suis moribus illum in vitia pertrahat. Qua in re nostra ætate maxime peccant educatores, qui nihil mores considerant, totique sunt in scientiis edocendis: quare plurimum fit, ut alumni neque boni, neque docti fiant.

§. 113. At quamvis parentes ita filios educare studeant, omnis eorum labor in nihilum recidet, nisi terribile illud momentum attendant, quo filii educationis vinculo soluti sibi relinquuntur. Nisi enim tunc regantur, & a pravis sociis, improbisque amicis, & familiaribus, qui tam frequenter occurrunt, removeantur; facile vitiosi fient, omnisque bo-

næ educationis fructus evanescet. Tunc itaque curare maxime debent, ut filii cum hominibus honestis, prudentibus, ac irreprehensis amicitias ineant, & aliqua in re se exerceant, cum otium sit omnium vitiorum fons & origo.

§. 114. Cæterum parentes id ratum, firmumque habeant, necessarios bonæ educationis sumptus nunquam nimis magnos habendos esse, ac nunquam tam divites, ac locupletes eorum filios esse futuros, quam si optime instituantur, cum optima educatio omnium divitiarum maxima sit.

§. 115. Liberorum erga parentes officia ad quatuor præcipue revocari possunt, *honorem*, scilicet, *amorem*, *obedientiam*, & *auxilium*. Equidem 1°. parentibus deberi honorem, & reverentiam ita docet, monetque natura, ut in ea re consentiant cujuscumque nationis & religionis populi. Duo autem expostulat honor parentibus debitus, nempe ut eos consulant liberi in rebus alicujus momenti, in quibus ab eorum auctoritate pendent, ipsorumque consiliis acquiescant; nisi obstiterit lex divina, atque ut parentum infirmitates patienter ferant. Equissimum enim est, ut qui juvenilem infirmitatem nostram susceperint, eorum similem imbecillitatem toleremus. *Fili*, inquit Ecclesiasticus, *suscipe senectam patris tui*, *& non contristes eum in vita illius*, *& si defecerit sensu*, *veniam da*, *& ne spernas eum in virtute tua*. 2°. Parentes amore tenerissimo esse a filiis complectendos ex eo patet, quod eorum ministerio & vitæ usuram, & innumera beneficia acceperunt. Summopere igitur studendum est, ut parentibus nostra agendi ratio in omnibus placeat, ut sive pro

bonis lætitiam, sive pro malis, quæ ipsis accidunt, dolorem iis significemus. 3°. Debere filios parentibus obedire, & docuit suo exemplo Christus, de quo narrat S. Lucas: *Erat subditus illis* (*cap.* 2. *v.* 51.), & jubet Apostolus Christi fidissimus interpres: *Filioli obedite vestris parentibus in Domino: hoc enim justum est* (Eph. 6. 1.). Hæc autem parentibus obtemperandi lex, non tantum quamdiu vivunt, sed etiam post ipsorum mortem tenet. Debent enim filii ultimas parentum voluntates post obitum religiose exequi. 4°. tandem parentibus esse a filiis præbendum, quidquid ad vitam sustentandam necessarium est, habita ratione status & conditionis, ipsa grati animi significatio suadet. Nihil quippe æquius est, quam iis partim saltem rependere, quæ ab ipsis accepimus. Quidquid enim beneficii in parentes conferat filius, nunquam tantum dare poterit, quantum sibi ab ipsis collatum fuit.

§. 116. Tandem *amor* & *concordia* sunt officia, quæ sibi invicem fratres præstare debent, ac felix illa familia omnino erit, in qua naturæ vincula amoris & concordiæ vinculis consolidentur. Hinc Themistius (*Orat. de Amic.*) ad amici indolem detegendam præcipiebat, ut attente observaretur, quomodo homo erga fratres suos se gereret.

§. 117. Quid vero si frater protervus sit, insolens, malevolus, flagitiosus? Ferendus est tamen, cum frater sit, atque amice tractandus: est enim a natura datus. Reliquis siquidem amicitiis consentaneum est præire judicium, at ei, quæ cum fratre intercedit, non ita, quippe quæ in natura est, non in delectu. Tolerantur vitia animalium, equi, canis,

felis &c. cur non fratris? Monendus quidem, obiecrandus, leniter aliquando reprehendendus, at deferendus nunquam: imo tum enitere, ut eum ad sanitatem revoces, & agrestem mitiges beneficiis, in quibus inest vis magna quædam ad animum molliendum. Nec vero irritus futurus est, ac inanis labor: nam & feræ, quamquam immanes, ad cicurum naturam rediguntur certo cultu, victuque quotidiano.

CAPUT VI.

De Prudentia.

§. 118. Prudentia idem fere significat, ac *prævisio*, nam sapiens prævisio prudentiæ naturam præcipue constituit. Ac revera homo, qui clare prævidere posset, quidquid evenire debet, & juxta eam prævisionem actiones suas dirigeret, esset omnium prudentissimus.

§. 119. Ea, quæ continuo eveniunt, vel ex diversis hominum actionibus, vel ex causis physicis, vel ex utrisque pendent. Ut igitur homo perfecta prudentia polleret, non solum deberet omnes hominum actiones prævidere, sed etiam omnes effectus, qui ex causis physicis originem habent. Quæ prævisio cum necessario expostularet scientiam omnium legum physicarum, quibus entia physica subjiciuntur, omnium circumstantiarum, in quibus singulis posita hæc vel illa exhibent phænomena, simulque omnium determinationum, in quas homines per vices veniunt, homini est

omnino impossibilis, solique Deo competit; quare nemo perfecta prudentia praeditus esse potest.

§. 120. Quamvis autem homines ad perfectam prudentiam pervenire nequeant, possunt tamen prudentiam satis magnam, quæ ad felicitatem ducat, sibi comparare. Nam in primis multas naturæ leges agnoscimus, ac novas quotidie observationibus, & experientiis detegimus. Plures causarum physicarum circumstantiæ nobis perspectæ sunt, & ex iis, quæ innotescunt, *inductione*, & *analogia* alias inferimus. Deinde quamvis hominum voluntates libertate polleant, attamen eas dirigere juxta certas leges suas actiones, compertum nobis est. Hinc prævideri facile potest, quid acturus sit homo, qui in divitiis felicitatem ponit, si de lucro faciendo agatur, quid acturus voluptuosus, si possit voluptatem capere, quid ambitiosus, si sermo sit de honoribus &c.

§. 121. His autem principiis innituntur humanæ prudentiæ regulæ, quæ tres sunt. Prima; *ut ante omnia naturam operis, quod aggredi volumus, accurate examinemus*. Si opus illud *honestum* non sit, non solum ad illud non debemus nostras actiones, sed ne cogitationes quidem convertere. Pariter, nisi sit *utile*, maxima foret imprudentia illud aggredi. Hæc autem utilitas dimetienda est ex fructu, qui ex illo consequitur, ex impensis & incommodis, quæ perferenda sunt, ex insumendo tempore, ex difficultatibus superandis. Altera, *ut diligenter inquiramus, quænam sint causæ physicæ, quæ in opus suscipiendum influere possunt, quænam sint circumstantiæ, in quibus hæ causæ reperiuntur aut a nobis collocari possunt*.

ut operi absolvendo faveant, *aut illud non impediant*. Tertia, *ut perpendamus*, *quænam sint personæ*, *quæ ad opus exequendum adhiberi debent*, *quænam operi illi faveant*, *quænam adversentur*, *quodnam earum ingenium*, *qui affectus*, *quæ vis physica*, *& moralis*.

§. 122. Hoc autem examen *tempus*, *considerationem pacatamque mentem* expostulat. Hinc 1°. omne consilium, quod inimus, dum ingenti affectu agitamur, semper imprudens erit. 2°. generatim imprudens quoque erit præpropera festinatio. Dixi *generatim*, nam aliquando captare necesse est opportunitatem ad agendum temporum, ac tunc cunctatio sæpe nocet; apprehendi enim nequit occasio, quæ jam elapsa fuit.

§. 123. Tempus in ejusmodi examine instituendo potest esse majus aut minus juxta naturam & pretium operis incipiendi, ac præcipue juxta sagacitatem, celeritatemque hominis, qui illud instituit. Quare felix habitus statim percipiendi res sub omnes aspectus, ac celeriter intuendi rerum relationes, & corollaria, quo nonnulli homines donantur, caussa est cur ii vix ibi horam insumant, ubi cæteri homines plurium dierum intervallo indigent.

§. 124. Quod vero examen illud, cum valde compositum est, celerius ac minus errori obnoxium reddit, est methodus scribendi judicia, quæ consideratio per vices indicat. Nam cum plures ideas debet mens contemplari, neque celerius, neque tutius earum relationes introspicit, quam si singillatim eas consideret, percipiatque singularum nexum, ac deinceps singula judicia, quæ efformavit, simul conferat, ordinetque; quod quidem nun-

quam præstare poterit, nisi per vices in charta notet, quæ offert consideratio. Ipsa enim idearum multitudo sine hac methodo mentem obruit: timor ipse, ne aliquas ideas amiserit, eam impellit ad inordinate judicandum, ac ad eadem judicia pluries inutiliter repetenda. Uno verbo sine hac methodo mens in confusionem, in dubia perpetuo incidit, ac proinde non solum majus tempus insumit, sed etiam sæpe in errorem prolabitur.

§. 125. Quod si & examen instituendum valde compositum sit, & opus, quod aggreditur, magni momenti videatur, homo prudens, postquam methodo, quam præscripsimus, examen illud absolverit, ne ullus erroris scrupulus insit, ac certus sit, neque affectibus, neque imaginatione in errorem arripi vel quoad operis executionem, vel quoad ejus utilitatem, consulet viros honestos, sinceros, opportunis cognitionibus præditos, affectibus vacuos, eorumque expectabit approbationis vel reprobationis suffragium. Qua in re diligenter advertet, ne, cum opus suscipiendum arcanum esse debet, multi sint ii, quos consulat. Nam quo plures erunt, eo facilius arcanum aperietur, ut quotidiana ostendit experientia. Hinc Isocrates præcipiebat, ne secreta panderentur, nisi iis, quibus eodem modo prodest, secretum premere. Quod quidem præceptum, licet aliquando servari possit, semper tamen non potest.

§. 126. Postquam vero homo prudens examen instituerit, ac, cum oportet, viros opportunos consuluerit, urgebit, atque instabit summo studio, ut quod sapienter constitutum est, id perficiatur, nec unquam animo relinquet fluctuandi locum, aut ab ince-

pto desistet, nisi circumstantiæ varientur, aut difficultates insuperabiles oriantur. Hinc in negotiis audendum est, nec semper fides habenda omnibus qui rem fieri non posse censent; homines enim fere pusillo sunt animo, & objecta menti pericula & difficultates pertimescunt, & quod ceteroquin aliquo conatu licet consequi, idem habent ut temerarium facinus.

Atque ex his prudentiæ regulis facile innotescunt præcepta, quæ in muneribus administrandis, in amicis seligendis, in propriis officiis præstandis, ac in omni agendi ratione sequamur oportet.

ETHICÆ

LIBER III.

De Homine ut Dei creatura.

§. 127. Cum homo advertit se a Deo existentiam accepisse (quod certe advertit, cum jam percepit, se esse variis facultatibus præditum, ac in societate constitutum) illud necessario advertit, ex relatione, quæ inter creatorem & creaturam intercedit, quædam dimanare officia, quibus ipse satisfaciat necesse sit. Hæc officia plura, vel pauciora esse opinatur pro illa, quam sibi de proprio creatore ideam comparavit. Nos in hoc libro, quem unico capite complectemur, ea officia exponemus, quæ necessario oriuntur ex idea, quam de Deo in Theologia naturali tradidimus. De iis enim officiis sermonem instituere, quæ profluunt ex idea Dei, prout revelationis fax illum nobis manifestat, ad sacram Theologiam spectat. Sit itaque.

CAPUT I. ET ULTIMUM.

De Officiis in Deum.

§. 128. Non potest homo suis in Deum officiis satisfacere, nisi prius de Deo, divinisque attributis non errantem &

dubiam, ut sæpe improbi & stulti, sed ut sapientes & boni, stabilem, certamque scientiam sibi comparet. Si enim hac stabili, certaque scientia careat, sæpe fluctuabit, sæpe officia præstanda ignorabit. Hinc Lactantius ajebat: *Prius est, Deum scire, consequens colere.* Hinc etiam Seneca *cap.* 95. præcipiebat: *Primus est Deorum cultus, Deos credere: deinde reddere eis majestatem suam, reddere bonitatem*. Et Epictetus in Enchiridio *cap* 38. *Religionis erga Deos immortales præcipuum illud esse scito, rectas de his habere opiniones.*

§. 129. Ad hanc autem stabilem, certamque de Deo, divinisque attributis cognitionem homo duplici via pervenire potest, nempe vel dando operam naturæ, revelationisque studio, vel magistros audiendo, qui Deum divinaque attributa ex utroque illo fonte agnoscunt, explicantque. Quicumque autem hoc primarium erga Deum officium negligunt, ii culpa non vacant, dum in cæteris, quæ ex eo pendent, deficiunt: eorum enim ignorantia *voluntaria* est, & *vincibilis*.

§. 130. Jam vero omnia officia, quæ rationis lumine Deo præstanda esse cognoscimus, hoc fundamento innituntur, nempe, *quod Deus nos creaverit, jugiter conservet, supremus sit nostri Dominus, a quo omnia cum animi tum corporis bona accepimus, atque unus omnino sit, qui veram beatitudinem nobis concedere possit*. Quam stabile sit hoc fundamentum ex universa Theologia naturali aperte constat.

§. 131. Ex hoc autem fundamento dimanant primum officia *interna*, quæ sunt 1°. *amor*, 2°. *timor*, 3°. *fides*, 4°. *spes*, 5°. *obsequium*, 6°. *invocatio*, 7°. *gratiarum actio*. Dimanat 1°. *amor*. Nam si infixum sit penitus in mentibus nostris a Deo in nos bona pro-

fluere omnia cum ea, quæ possidemus, tum quæ speramus in omne posterum tempus; si infixum sit, absoluta peregrinatione, Deum nos facere, dummodo velimus, perfecte beatos; quo pacto fieri poterit, ut illum summopere non diligamus? In hoc tamen Dei amore cavendum est, ne Deum ita propter nos amemus, ut ad nosmetipsos illum referamus. Talis enim amor atheismi speciem quamdam contineret, cum homo ita Deum amans non Deum, sed seipsum amaret, ac sibi ipsi Deus foret, propriumque, ut ita dicam, idolum. Itaque Deus amandus est, non solum quatenus est bonus in nos, sed etiam quatenus infinite perfectus & infinite bonus in se est, qui proinde super omnia amari debeat. Hujus autem sinceri erga Deum amoris maximum argumentum erit studium officiorum, quæ nobis, quæ aliis, quæ tandem ipsi Deo debemus: mentiuntur enim qui Deum se amare profitentur, horum autem officiorum immemores vivunt: nam amor Dei a divinarum legum observantia separari non potest.

§. 132. Dimanat 2°. *timor*. Nam si Deus nos creavit, jugiter conservat, innumerisque cumulat beneficiis; igitur solliciti esse debemus, ne aliquid faciamus, quod illi displiceat. Illa autem sollicitudo, qua cavemus, ne aliqua nostra actio Deo displiceat, quia illum amamus, & veremur, ut patrem, dicitur *timor filialis*. At licet timere Deum *timore servili*? nempe, non quia illum vereamur ut patrem, sed quia formidemus ut dominum potentissimum, qui punire severissime possit? In timore servili duo sunt distinguenda, alterum, quod est ipsi intrinsecum, & essentiale, nempe *fuga pœnæ*, alterum, quod est ipsi extrinsecum, & accidentale, nimirum

ipsa servilitas, seu repugnantia, qua homo pœnæ metu abstinet ab iis, quæ male concupiscit. Primum bonum est, alterum autem malum, cum non excludat peccandi voluntatem. Hinc S. Augustinus in *psal.* 127 de timore servili hæc habet: *Bonus est ille timor utilis est; sed nondum est ille castus permanens in sæculum sæculi*.

§. 133. Fluit 3°. *fides*. Etenim, cum Deus sit summa ratio, & summe bonus, & quidem immutabilis, ut in Theologia naturali demonstratum est, vereri nullo modo possumus, ne talis Dominus nos decipiat, dum aliquid docet, aut promittit. Si igitur nobis constet, Deum aliquid docuisse, aut promisisse, quamvis nostra ratio id intelligere nequeat, firmissime tenendum est, nec de ejus veracitate, aut fidelitate dubitandum, cum hæc dubitatio naturæ & essentiæ hujus Domini omnino adversetur.

§. 134. Consequitur 4°. *spes*. Si enim unus Deus veram beatitudinem possit concedere, jam in eo uno spes suas collocare homines possunt. Sperare autem debent, Deum esse tandem præmiis affecturum bonos, pœnas autem ab hominibus scelestis immutabiliter exacturum. Nec si Deus differat, aut si impios bonis terrestribus cumulare videatur, minus est sperandum: nam ut verbis Cæsaris *de bell. Gall. lib. I. cap. XIV.* utar, *consuescunt Dii immortales, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum ulcisci velint, his secundiores interdum res, & diuturnam impunitatem concedere*. Consulatur §. 94. Theologiæ naturalis.

§. 135. Profluit 5°. *obsequium*. Etenim si Deus est noster Dominus, igitur illi obsequium debemus, cum correlata sint dominus & servus, dominium & servitus. Hoc autem ob-

sequium expostulat, ut 1°. homines, pro sua quisque indole & statu, diligenter in divinas leges inquirant; cum ab iis Legislator contemni videatur, qui in ejus legibus addiscendis negligentes sunt. 2°. ut divinas leges diligenter custodiant, vitamque juxta eas ducant, cum obsequens Deo reapse non sit, qui eum quidem noscit, sed secundum ejus leges non vivit: *non qui dicit Domine, Domine intrabit in regnum cœlorum; sed qui fecerit voluntatem Patris, qui in cœlis est*. 3°. ut Deo magis quam hominibus obediant, cum Deus sit noster Dominus supremus, cui Reges omnes obediant oportet, & *sub quo incurvantur, qui portant orbem*, ut loquitur Jobus.

§. 136. Consequens est 6°. *invocatio*. Nam si nostra felicitas uno a Deo pendet, utique nobis ut eam largiatur, est invocandus. Accedit, quod invocatio argumentum sit nostri erga illum obsequii, ejusque donis excipiendis animum nostrum præparet. Oportet autem illum invocare non temere, non remisse, non negligenter, sed summo studio, summa animi contentione ac pietate, ardentique id quod petimus desiderio impetrandi; atque interim reputare, quanta sit Dei, quem alloqui audemus, majestas. Petendum vere semper est, quod sit honestum, quod deceat, quod cum ei dare gloriosum sit, tum nobis utile ac salutare consequi. In quam rem præclare scriptum est a Seneca *epist.* 10: *roga bonam mentem, roga valetudinem animi, deinde corporis. Quidni tu ista vota sæpe facias? audacter Deum roga....: sed ut more meo cum aliquo munusculo epistolam mittam, verum est, quod apud Athenodorum inveni: tunc scito esse te omnibus cupiditatibus solutum, cum eo perveneris, ut nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam.*

Nunc autem quanta dementia est hominum? Turpissima vota Diis insusurrant: si quis admoverit aurem, conticescunt, & quod scire hominem nolunt, Deo narrant. Vide ergo, ne hoc præcipi salubriter possit: sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat, sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.

§. 137. Corollarium tandem sit 7°. *gratiarum actio.* Si enim beneficia a Deo accepimus, quæ certe innumera sunt; agendæ sunt Deo gratiæ, cum beneficium & gratiarum actio sibi invicem respondeant. Sunt autem agendæ Deo gratiæ cum in prosperis rebus, tum in adversis, in paupertate, in morbo, in calumniis, aliisque generis ejusdem: hæc enim quamquam vulgo habeantur in malis; tamen sæpe bona sunt, multumque ad mores vel emendandos conferunt, vel perficiendos exercitatione virtutum, atque ad ampliorem mercedem, laboribus ac tolerantiæ propositam. Et certe boni viri cum conflictantur adversis rebus, has habent beneficii loco, quippe quæ sine dubio futuræ sunt illis utilitati, cum Deus bonos frustra premi calamitate non patiatur.

§. 138. Tandem ex eodem fundamento consequuntur etiam officia *externa*, quorum primum est *non loqui de Deo, divinisque attributis, nisi honorificentissime*; secundum, *omnibus signis externis interna officia manifestare*; tertium, *veritates divinas alios studiose edocere*; quartum *promovere Dei gloriam & veram pietatem iis omnibus argumentis, quibus ejus attributa intelligantur*. Ac revera si Deus nos creavit, jugiter conservat, atque innumeris cumulat beneficiis, summe bonus in nos est, proindeque de eo loqui non possumus, nisi verbis honorificentissimis. Si supremus est Dominus, cum ad animam, tum ad corpus

quod ſpectat, omnibus noſtris facultatibus ejus dominium teſtari, ideoque externis etiam ſignis illum timere, invocare &c. debemus; præſertim quod ita alii pariter ad idem præſtandum excitantur: unicuique enim compertum eſt, quanta ſit exemplorum vis atque efficacia. Tandem grati animi ſignificatio, quæ ex acceptis beneficiis conſequitur, neceſſario expoſtulat, ut divinis beneficiis, quantum fieri poteſt, reſpondeamus: quod nullo præclarius modo præſtare poſſumus, quam ſi veritates divinas alios ſtudioſe edocendo, Dei gloriam totis viribus promoveamus.

FINIS.

INDEX

INSTITUTIONES ETHICÆ. pag. 143.

ETHICÆ

LIBER I.

De Homine ut variis corporis, animique facultatibus prædito. 145
CAP. I. *De recto sensuum, ac virium intelligentium usu.* 146
CAP. II. *De Affectibus rite regendis, atque in primis de amore & æstimatione sui ipsius, de superbia, ejusque remediis.* 152
CAP. III. *De Vanitate, ac de cura, & contemptu alienæ æstimationis.* 157
CAP. IV *De Spe, Timore, de Audacia, & animi Fortitudine.* 163
CAP. V. *De Invidia, de Æmulatione, ac de sui ipsius cognitione.* 166

CAP. VI. *De Ira, Odio, & Antipathia.* 174

CAP. VII. *De Cupiditatibus generatim.* 180

CAP. VIII. *De Cupiditatibus divitiarum, ſcientiæ, gloriæ, dignitatum, dominationis, et voluptatum.* 183

ETHICÆ

LIBER II.

De Homine, ut in ſocietate conſtituto. pag. 195

CAP. I. *De Societate generatim.* 196

CAP. II. *De primo naturæ præcepto:* Alteri feceris, quod tibi factum velis, *ac de Beneficientia.* 204

CAP. III. *De altero naturæ præcepto:* Alteri ne feceris, quod tibi factum doleas. 208

CAP. IV. *De officiis inter amicos.* 215

CAP. V. *De Officiis parentum in filios, filiorum in parentes, ac fratrum in ſe invicem.* 219

CAP. VI. *De Prudentia.* 224

ETHICÆ.

LIBER III.

De Homine ut Dei creatura. 229

CAP. I. & ult. *De Officiis in Deum.* Ibid.



ERRATA			CORRIGE
Pag.	lin.		
18.	17.	conseferunt	consenserunt
22.	6.	laque	lateque
42.	25.	planctis	planetis
47.	7.	demontrasse	demonstrasse
62.	5.	petionem	petitionem
66.	12.	Berellius	Borellius
67.	38.	uomi	uomini
73.	15.	Buetius	Boetius
110.	25.	fupiens	sapiens
119.	35.	indubita	indubitata
149.	34.	quid	qui
211.	35.	eas	eos

Cætera Lectori benevolo.





